

niue, amyli placentis colore non dissimiles. Syluestrium bulborum florem coronis inseruere veteres anemonen vocantes, post narcissum, vt Theophrastus inquit, exeuntem vere, sed aliam quàm quæ dicitur in phænij mentione. Græci florem hunc codion bulbi vocant. Nec tamen ijs authorum placitis videbitur alienum, syluestrem bulbum eam esse herbam quæ per initia veris Aprili mēse, narcisso similis erumpit, radice bulbosa ceu allium, citra odorē glutinosa, fronde porracea, caule dodrantali, cauo, flore lilij sinuatim emicante, specioso, quaternis folijs è calatho stellatim radiatis, ex albo in luteū tendentibus, aliquantū odoratis, capillo intus croceo. hanc rura nostra, quæ radice & folijs porrum imitetur, *porrionem* appellant. Nanq; huius flores vernis coronamentis se dedere, & ineunte vere promuntur, croceis intus staminibus. Inclinat animus eam esse forsitan quam codiaminum Plinius vocet, cum florem codion bulbi diximus appellari, bis, vt inquit, vere & autumno emicantem, æstates hyemēsque fugientem, quod in superiore deprehenditur, & initio veris & æstatis exitu floret. Nihil tamē perpetuum in his statui potest, cum ea velut notissima non depingantur ab authoribus. Bulbus etiam, quem vomitorium vocant quòd vomitiones repræsentet, folia habet lentiora, multoq; longiora quàm esculentus, radicē bulbo similem, niger cortex integit. Quæ de hoc bulbo dicuntur, bis in exemplaribus superflue repetuntur. Inuenitur apud Hippocratem syluestris oleris genus oloconitidem vocari dulcem, bulbo simili radice, verū parua & oliuæ magnitudine, ad secundas trahendas vtili. Amara austerāq; vi præditos inueniet bulbos, qui gustū exactè consuluerit. quapropter elanguescentis & fastidiosi appetitus auiditatem reuocant. nam, vt inquit Galenus, & eorum radix frondibus spoliata, & vere cauliculus estur. Nec ijs inutiles existimantur, quibus pectore ac pulmonibus purulenta sunt elicienda: quanquā crassiore corporis concretu & glutinosiore natura constent. Siquidem amaritudo crassitudini aduersatur, lentitiam & crassitiam digerens. Proinde bis mutata aqua cocti copiosius alunt, sed exuta amaroris gratia excreationem minime proritabūt. tum ex aceto, oleo, & garo sumpti maiore placent oblectamento. sic facilius coquuntur, pauciores mouent flatum, & corpus augent largiore alimento. Bulbis vberius vescentes copia genitura stimulatī pronius in venerem ruunt, & libidini salacius indulgent. quippe cū eo cibo manifeste marcescētis coitus desideria refricātur. Bulbi longam coctionem reformidant, exigua supramodum contenti, siue aqua bulliant, siue patinis frigrantur, siue prunis torrefiant. Quos amarulentia & austeritatis irritamenta delectant, crudos esse malunt, quòd ijs ignem non expertis magis ciborum auiditatem moliantur. Verum ad restinguendas edentium illecebras binos aut ternos edisse satis est, cum sua noceant cruditate, malēq; cocti spiritus & tormina creent. illud ad cibos, hoc ad medendi rationē pertinet. Succus bulborum cum melle canum morsibus, & vt Erasistrato placet, cum pice medetur. Sanguinem idem eos sistere tradit illitos cum melle. Alij si è naribus fluat, coriandrum, & farinā adijciunt. Alij lichenas ex aceto bulbis curant, & erumpentia in capite cum vino austero aut ouo, & bulbos epiphoris illinunt. sic & lippitudini medentur. Aequè vitia, quæ sunt in facie, præsertim rubentes bulbi cum melle & nitro in sole illiti emendant, lentiginē cum vino & cucumi cocto. Vulneribus quoq; multum prodesse tradunt per se aut ex mulso, si quinto die soluantur. Iisdem auri-

culas fractas sanant, & testium pituitas. In articulorum doloribus miscent farinam. Cæterū ex aceto & sulphure vulneribus in facie medentur, per se vero tristi neruorū contractionibus, & ex vino porriginibus. In vino cocti, & ventri illiti duritiem præcordiorum emolliunt. Dysentericis in vino aqua cælesti temptato dantur. Ad sudorem tusi linuntur. Neruis vtiles, ideo paralyticis dantur. Ad conuulsa intus cum silphio pilulis fabæ magnitudine. Venerē Megarici maxime stimulant, hortensij partū cum sapa aut passo sumpti. Flos bulborum tritus crurum maculas varietatésq; igne factas emendat. Semē antiqui bibendum infanientibus dabant, & contra phalangia in vino. Ex aceto contra serpentium ictus fatiuos illinebant. Diocles oculos hebetari ab ijs putat. Elixos assis minus vtiles adijciunt esse, & difficile cōcoqui. Omnes bulbi, vt Dioscorides scriptum reliquit, natura sunt acri, calfactoriæque, venerem accendunt, linguam & tonsillas exasperant. In cibo valentis sunt materiæ. Augentur eo esu carnes, flatus creant. Eluxatis, collisis, articulorum doloribus efficaciter illinuntur. Infixa extrahunt spicula. Gangrænas & podagras ex melle vel synceri aquæ intercutem tumores, & canum morsus cum melle ac piperis farina illiti cohibent. Sudores arcent, sedant & stomachi dolores. Manantia capitis vlcera & furfures cum nitro tosto emédant. Sugillata varósq; per se vel oui luteo, & lentigines cum melle & aceto discutiunt. Fractas auriculas cum polenta & incussos vngues sanant. Ficos tollunt in calidis cineribus torrefacti, & cum mænarum capitibus crematis appositi. Combusti vero & alcyonio permisti vitia cutis in facie tollunt, & nigras cicatrices emaculant, & ad candorem reducunt in sole corporibus illitis. Cum aceto elixi manduntur ad rupta. sed copiosiore eorum cibo nobis interdicitur, quoniam neruosas partes tentant. Cocti cum polenta & suillo adipe collectiones & panos suppurant, & compendio perrumpunt. Syluestres bulbi intera-
neorum plagas & vitia cum silphio pilulis deuoratis sedant. Bulbus, quē vomitorium vocant ab effectu, multo longior est quàm esculentus. cuius decoctum vesicæ vitijs medetur, vomitiones elicit. Bulbine traditur vulneribus mire vtiles duntaxat recentibus.

¶ Scylla.

Cap. CI.



Cylla notior fuit quàm vt à Dioscoride pingeretur. Scyllæ radix cepæ modo multipliciter tunicata corticosaq; ex qua prius caulis per se profilit, tum ex eo flos emergens insidit. qui cū senuerit, folia demum emicant, lata, nullo nixa pediculo, cepitia quadam specie. terni florum prouetus spectantur singulis singulas semētes denunciantibus. Viuax est scylla, vtpote quæ pensilis diu vitam prorogare possit. Squillam exemplo Varronis omnes nunc vocant officinæ. Germinant celerius quædā intra scyllā consita, & vt tradit Theophrastus, ficus si iuxta scyllam feratur, ocius crescit, minúsque vermibus infestatur. In summa, quicquid scyllæ fuerit inditum, facilius germinat, & celerius gliscit. Fructus condendos seruat, præsertim punica mala pediculo prius exempto. Ante portas domorum sata veneficiorū noxam arcet. Scyllæ flos (vt est Berytius author) virgata specie profiliens, modo celeriter non emarcescat, largos frugum prouetus ac vberē annonā nobis promittit. Duo scyllæ genera, masculus

albis folijs, foemina nigris. Tertium genus est cibus gratum & esu tenerum. Epimēdia scylla vocatur, ab usu nuncupationem sortita, angustius folio, ac minus aspero, feminis plurimum. Omnibus celerius tamen proueniunt bulbis circum latera natis, & ut crescant, folia quæ sunt in ijs deflexa circūobruuntur, ita succum omnem in se trahunt. Capita sponte multis in locis etiam nascuntur. Nobilissima bulborum scylla medicamini nata, acetóque exacuendo. Scyllæ quæ fuerit candissima, direptis viuotenus aridis tunicis, quod reliquum est suspenditur consutū lino modicis interuallis. postea arida frustra in cadum aceti quàm asperrimi pendentia merguntur, ita ne vlla quidem parte vas contingant. Gypsum deinde oblitus cadus locis exponitur sole illustratis, ac totius diei feruorem accipientibus. post quadragintaseptem dies tollitur vas, scylla eximitur, acetum transfunditur. Genus vnum scyllæ aut bulbum eius omnem, ab Hippocrate schœnum vocari Galenus est author. Scylla vim habet ardentem & acutam. Pluribus modis vtilis redditur tosta. Luto hæc vel pistorio opere circumlita mittitur in clibanum, aut sub prunas occultitur, donec ambiens tegumen re-torridum videatur: quo exempto si nondum probe contabuit, alterum statumen superinducitur, denuo idem opus obeundum, alioqui citra curationē hanc interanea morsu laceffet. Torreri etiā solet in ollula, quæ indito operculo conijciatur in clibanum, tostāq; purgatur, & medium eius in taleolas dissectæ rursum in aqua coquitur, toties mutata vsq; dum acrimonia eius aboleatur. Item cruda quoq; conciditur, & in vmbra suspēditur lino modicis interuallis, ita ut segmina nulla sui parte se contingant, postea in oleū, vinum, acetūmq; merguntur ad vsum. Crudæ aridis tunicis direptis, quod reliquum è viuo est inferuefactū oleo, aut cum resina liquefactum ad rimas pedum imponitur. In aceto cocta serpentium plagis illinitur, ad singulas tostæ portiones adiectis octonis torridi salis. cochlear vnum aut alterum datur ieiunis aluo molliendæ. Inspergitur & potionibus & odoramentarijs pastillis ad vrinam ciendam, & ad hydropicos & stomachicos, quibus innatet cibus, regios morbos, tormina, veterē tussim cū suspirio, & cruentum extussientes. tres obolos inde linctū cum melle sumpsisse satis est. Coquitur cum melle & estur eorundem gratia, maximè vti concoctionem adiuuet. Strigmenta aluo detrahit. Cocta & simili sumpta modo eosdem præbet effectus, sed cauendus scyllæ vsus ijs qui intestinum sentiunt vlcus. Prodest verucis & pernionibus tosta. Tritum semen exceptū fico sicca, si cum melle manditur, aluum emollit. Scylla in limine ianuæ suspensa contra veneficorū noxam amuletum est. Scyllinum acetum clariorem oculorum aciem facit. Salutare est stomachi laterūmq; doloribus parum sumptum binis diebus. Sed tanta vis est, ut auidius haustum momento aliquo extinctæ animæ speciem præbeat. Prodest gingiuis & dentibus vel per se commanducata. Tineas & reliqua ventris animalia pellit ex aceto & melle sumpta. Linguae quoque recens subiecta præstat ne hydropici sitim sentiant. Discutit & folijs strumas quadrimis diebus soluta. Furfures & vlcera manantia sanat illita ex oleo cocta, item rimas pedum. Coquitur in melle cibi gratia, maxime vti concoctionem faciat, sic & interiora purgat. Semen lumborum dolori ex melle imponitur. Pythagoras in limine ianuæ suspensam malorum medicamentorum introitum pellere tradit. Coquitur pluribus modis in olla, quæ conijciatur in clibanū aut furnum, vel pane aut luto illi-

ta, aut frustatim in patinis. Item cruda siccatur, deinde conciditur, coquiturq; in aceto: tum serpentium ictibus imponitur, tostaq; purgatur, & medium eius iterum in aqua coquitur. Vfus sic coctæ ad aquam inter cutem & vrinam ciendam tribus obolis cum melle & aceto potæ. Lienosis & stomachicis datur, si vlcus non sentiant. Elicit scylla veterinis cupidinem coeundi, nam si equa maré non patitur, detrita scylla naturalia eius liniuntur, quæ res accendit libidinem.

¶ *Pancration.*

Cap. CII.



Pancration, sunt qui & hanc scyllá malint appellare, radice bulbi magni, colore rufo, purpurascéteve, gustu amaro, qui os accendat, folijs lilij verum longioribus. Plinius pancration, aliqui pusillam scyllam vocant, folijs albi lilij longioribus, crassioribusq; radice bulbi magni, colore rufo. Sunt qui Gallis propriè loquentibus *sciponiam* existimét appellari, sed imperitum vulgus hoc nomen iam cepis communicavit. Galenus radicem tum gustu tum viribus scyllæ similem fecit, ita vt nonnulli, cum eius non datur occasio, pancration in vicem sufficiunt. Omnes siquidem scyllæ repræsentat effectus, sed longè censetur inualidior. Paulus & specie & viribus comparavit scyllæ. Pancration aliqui pusillam scyllam appellare malunt. Aluú soluit succo cum farina erui sumpto, vlcera purgat. Hydropicis splenicisq; cum melle datur. Alij decoquút eam donec aqua dulcis fiat, eaq; effusa radicem terétes digerunt in pastillos sole siccatos, & postea vtuntur ad capitis vlcera, & cætera quæ repurganda sunt: item ad tussim, quantú tribus digitis apprehenderint in vino dantes, & ad lateris dolores. Peripleumonicis in eclegmate præbetur, propter ischiada in vino bibendú, & propter tormina mensq; ciendos. Et in summa, potest ad quæ scylla. Paratur ministratúrque modo eodem, morbos omnino quos illa pellens, quâquam lenitas huius maior quàm scyllæ. Radicis succus cū erui farina cogitur in pastillos, qui cum aqua mulsa spleneticis & hydropicis vtiles sunt.

¶ *Capparis.*

Cap. CIII.



Capparis plurimis prouincijs sua spôte noualibus prouenit. Sed quibus locis inopia eius est, si seratur, siccú locum desiderabit, isque debet ante circundari fossula, quæ repleatur lapidibus, areaq; indefossu cauata, ripisq; vndiq; circumstructis pariete, vt sit quasi quædam lorica ne possint eam prærumperere. Seminibus huius frutices qui per agros euagantur, & nisi circumueniente muniméto aut circulari scrobe coerceantur, stuctilíq; fossa cohibeantur, cogút solum sterilefcere. nanq; noxiú virus egerunt, & succú eructant nascétibus satis incómodum, nisi frequenter extirpentur. Capparis cultu vel leni vel nullo contenta est, nanq; diligentia marcescere volunt. Gracili solo herbas sponte persequitur, fabulosis familiarissima: quippe quæ res etiam in desertis agris citra rustici operam conualescit. Seritur vtraq; Aequinoctio, floret æstate, sub occasu Vergiliarú inarescit. Frutex firmioris ligni senticosus & humilis, in orbem proserpit, caule breui, ramis in rosæ modum aculeatis, spinis aduncis hamatisq; folio circinato horridulóq; baccis oleæ, rotundis, quibus fatiscétibus emicat flos roseus,

candidus odoratusque: qui postquam excussus decidit, glans extuberat oblonga,
 feminis acinosi plena, radice nigra, multiplici, lignosa. cortex subrufus ac mini-
 me friabilis eam vestit. Viret vsq; ad Vergiliarum occasum. Aristoteles & Theo-
 phrastus capparim negarunt in cultis hospitari, cum tamē, vti iam diximus, se-
 5 ratur in multis locis. Semen, flos, bacca culinis principales, cibique vulgati, caule
 quoque vnā plerunq; decerpto. Cauebantur olim genera peregrina. Siquidem
 Arabicum, pestilens erat, vt Plinius ait, & Galenus confirmat: Africum, gingi-
 uis inimicum: Apulum, vomitus faciebat: innocētius, Italicum. Nunc mitia, vn-
 decunq; sint allata, cibo non respuuntur. Paulus vsu eius cōmendauit ex ace-
 10 to & oleo, quòd & inuitet appetentiam, & lienē laxet, pituitamq; per aluum exi-
 gat. In officinis nomē retinuit. Vulgus decurtandis nominibus felix, detritis dua-
 bus literis, *capres* quasi cappareas profert. Aliqui Latinorū inturim vocant. nanq;
 frutex cernitur spinosi generis, in gyrum humi se spargens. Spinās vt rubus ha-
 bet, in hamum curuatas, folia, cotonei, fructum oliuæ, quo dehiscēte flos candi-
 15 dus erumpit. quo deciduo, glans oblonga coalescit, quæ demum se pandens aci-
 nulos repræsentat rubentes, quales in punico malo spectantur, radicibus surcu-
 losis grandibusq;. Cauliculi, folia, flores, semina, glandes sale conditæ deferuntur
 ad nos hac specie & figura quam diximus. Fruticem iam alit Gallia. In Cypro
 capparum plurimum prouenit. Parum alimoniam vescentibus præbet, quòd par-
 20 tium tenuitate polleat, medicinæ potius quàm cibo nascens. Fructus sale con-
 spersus adseruatur, alioqui cito corruptionem sentit. Recēs salē non expertus
 plus alit quàm eodē inueteratus, aluum tamen magis mouet. Elutus & tantisper
 maceratus dum omnē salis naturam deponat, minime quidem enutrit, sed elan-
 guescentē appetentiam inuitat. Fastidia ciborum discutit, pituitam quæ in ven-
 25 tre coierat deijcit, lienis ac iocineris obstruētes inferctus expedit. Verum ad hos
 vsus præstandos, ex aceto mulso, aut oleo & aceto cæteris dapibus præponi de-
 bet. Teneris germinibus dum virent cum aceto & sale vescuntur, atque ad vsus
 recondunt. Ferunt eos qui quotidie edunt resolutione neruorum non periclitari,
 nec lienis doloribus. Radix vitilignes albas tollit, si tritæ in sole fricetur. Sple-
 30 neticis prodest in vino pota, radicis cortex duabus drachmis, dempto balnearū
 vsu. Feruntq;, trigintaquinque diebus per vrinam & aluum, totum lienem emitti.
 Bibitur in lumborum doloribus, ac paralyfi. Dentium dolores sedat tritum ex
 aceto semen decoctum, vel manducata radix. Infunditur aurium dolori deco-
 ctum oleo. Ulcera quæ phagedænas vocant, folia & radix recens cum melle sa-
 35 nat. sic & strumas, & parotidas discutit radix. Oris exulcerationes in aceto de-
 cocta tollit: iocineris quoq; malis medetur, vermiculos aurium necat. Dant ad
 tineas in aceto & melle. Stomacho inutiles esse inter authores conuenit. Caulis &
 fructus cibi gratia condiuntur. Aluum conturbat, stomacho officit, sitim creat.
 Cocta tamen stomacho quàm cruda vtilior est. Semen ipsum duabus drachmis
 40 in vino haustis per quadraginta dies lienem absomit. Vrinās trahit, cruentaque
 strigmenta pellit. Prodest in coxendicum doloribus & neruorum resolutione:
 item ruptis & cōulsis. Menses ciet, capitis pituitam elicit. Dentium dolores se-
 dat semē ex aceto decoctum si colluatur os. Eosdē habet effectus cortex radicis
 aridus. Ulcera omnia vetusta & fordida & quæ occalluerūt expurgat. Lienosis
 45 cum farina hordei linitur. Radix mordicus apprehensa dente malum id leuat.

Vitilignes candidas tollit cum aceto trita. Radix & folia intrita strumas ac duritias discutiunt. Contra vermiculos auriū succus infunditur. Peregrinū cappari quod è Marmarica Libyæ deportatur, magnas excitat inflationes. Apulum vomitus ciet. Asperrimū Africū, & quod è mari rubro conuehitur, siquidē in ore pustulas attollit, inimicū gingiuis, eas enim osse tenus exest, quare cibus damnatū.

¶ *Lepidium.*

Cap. CV.



Epidij facies à Dioscoride non repræsentatur. Peregrinū olim fuit lepidium, nunc multis in locis seritur à Fauonio: dein cum fruticauerit, iuxta terram præciditur, & velut porrum sectiuū demetitur, sed rarius. Post Calendas Nouembres secandū non erit, quoniam frigoribus violatum emoritur, præsertim si sæuitia hyemis ingrauat, nam impatientissimum est algoris: bienio tamen sufficet, si diligenter sarritum runcetur, & stercore satietur. Multis in locis viuacitatem suam vsq; in annos decem prorogat. Exit, vt Plinius tradit, in bicubitalem altitudinē, folijs laurinis, sed mollibus. Vfus eius non sine lacte. Paulus Aegineta volumine tertio in ischiadis mentione ait, Lepidium quod apud nos nascitur, fruticosum est, folijs lauri, longè maioribus. æstate sunt efficaciora. Quæ si tempus anni negauerit, cortice radice vti frondium vice conueniet. Miram ischiadicis & longis valetudinibus dedit experientiam. Hæc herba colitur apud nos officinis non ignota, mutuatitio tamen alterius plantæ vocabulo. Nam herbarij nunc non lepidium sed *raphanum* appellant, radice forsitan similitudinem contemplati. Nam hæc fruticat folio laurinis maiore, molliusculo, quod tandem postquam adoleuit, gladij retusi ferè speciem accipit, primum exeuntis folij rudimentum statim in laureum explicatur. Caulis in cubitalem exurgit altitudinem, radice magna, intus lignosa, spissiore libro vestita. Hoc gustanti miram adfert acrimoniam, linguamque magnopere vellicat, quare vsus eius non sine lacte, quo magis feruor retundatur, & eius acrementum dulcedine lactis edometur. Duo lepidij genera Columella fecit. Satiui, cuius ferendi rationem ac imaginem veteribus traditam nuper docuimus: syluestris, quæ hiberis existimatur, quã Paulus tradit & lepidium & agriocardamon appellari. Galenus lepidium voluit odore, gustu, viribus nasturtium imitari, nec vsquam inter simplicia meminit hiberidis. Paulus octauo volumine, quod simplicibus & compositis dicauit medicamētis, lepidium hiberiadem cognominari testatur, nec secreto quouis loco hiberidis vllam veluti diuersæ mentionē fecit, alioqui non relicturus si proprium genus habuisset. Addit, nasturtio viribus con similem, verum tertio volumine hiberidem fatetur & lepidiū & agriocardamon appellari. Sit itaq; syluestre lepidium siue cardamantice, folio nasturtij, caule cubitali, interdum minore, flore lacteo, semine tam paruo vt vix aspici possit, exili radice, cui insit odor nasturtij: vel vt apud Dioscoridem legitur, radicibus binis nasturtio similibus. Sed cum non legitimum sibi locum apud Dioscoridem, sed inter arbores spurium sibi vendicarit, qui tamen solitus sit res in suas classes distribuere, herbas cum arboribus non commiscere, credimus calci primi voluminis irrepsisse hoc caput, & imprudenter arborum aceruo succreuisse: præsertim cum nec Galenus, nec Aegineta Paulus, qui ab hoc emerito duce nusquã com-

periantur desciscere, priuatim huic hiberidi caput aliquod dicarint à lepidio discretū. Nec tamē hanc repudiamus, sed expūctam & velut luxam suæ sedi restituendam monemus, si qua conueniens ei propitiāq; reddi possit. nanque nuper ante Plinium Seruilius Democrates primus medentium eam appellauit hiberidē, quanquā (vt ait) ficto nomine, inuentioni eius assignato carmine. Galenus hanc plurimum commēdauit ad coxendicum dolores, sed eandem esse cum lepidio contēdit. Senariolum quoq; Democratis ipsius prætexuit ex eius libro qui Clinicus inscribitur. Sed Archigenes in quadam, quam ad Aristonē dedit, epistola, hiberidē lepidium & agriocardamon, id est syluestre nasturtiū imprimis prodidit vocari. Adiecit, cum flores, radices accuratè cōcidantur, tundūtur etenim difficulter, mox cum axungia quantum emplastro satis sit, coxendicibus & articulis quos dolor infestat non minus quaternis horis adalligetur: dein descendatur in balneum, post exiguam corporis humectationem aqua tepidiorē proluantur. In exitu vino & oleo perungātur lumbis lana pura tectis: diebúsque vicenis hoc idem fiat, si qua admonitio doloris supersit. hoc modo cæcæ sanātur fluxiones & rheumatismi. Constat ergo quæ tam à Dioscoride quàm à Plinio scribuntur, hæc ab Archigenis oraculis esse deprompta: nec tamē ideo suspicione carebit, id quod de hiberide traditur, ex hac Archigenis æditione Dioscoridi coaluisse, cum nec sedem debitam, nec viribus conuenientē inuenerit, sed in primi libri calce, vbi locus vacabat, insertū esse. Inuenitur tamen in incultis circa itinera pratāq; herbula cubiti ferè altitudine, folio nasturtij, lacteo flore, quem æstate fundit, semine in siliquulis tam exiguo, vt temere visum effugiat, sed vna frequētius radice quàm duabus nititur, odore nasturtij quàm acerrimo, cui rura nullum adhuc indidere nomen, quod equidem potuerim extorquere, nisi q̄ obiter herbarius mihi *pratensem* appellauit *valerianam*, quòd rude folium cum primū exit alatum & laciniatim dissectum spectatur. Columella docens quonam pacto fieret oxygala, condiendi lepidij vtriusq; rationem explicuit inquiens, Sunt qui fatiui vel etiam syluestris lepidij herbam cum collegerunt in vmbra siccēt: deinde folia eius abiecto caule die & nocte muria macerata expressāq; lacti misceant sine condimentis, & salis, quātum satis arbitrentur, adijciant. Alij in olla iuxta fundum terebrata, foramine furculo obturato, & lacte ouillo quàm recentissimo vas implent, adijciuntq; viridiū condimentorū fasciculos, origani, menthæ, cepæ, coriandri. Has herbas ita in lacte demittunt, vt earū ligamina extent. Post quintum diem, laxato vasis emissario, serum manare sinunt. hoc identidem faciunt. Nonnulli recētia folia lepidij cum dulci lacte in olla miscent, & post diē tertium serum emittunt: deinde compertam satureiā viridem, tum etiam arida semina coriandri atq; anethi, thymi, & apij, in vnū bene trita adijciunt, salēmq; bene coctum cribratūmq; permiscēt. quod in hoc senariolo idē cecinit author. Ponitur & lactis gustus quæ condiat herba.

40 Dioscorides quoq; lepidium scribit aliorū salgamorum more sale cum lacte cōdiri, vsūsq; eius non sine lacte, vt inquit Plinius. Barbari versus meridiem lepidio cogunt lac acorē contrahere, quo magis acremento morosum ijs palatum titillet, & ad stomachum faciat. *sataragim* Maurica lingua lepidium nominant. Recentiorum ferè plurimorum errorem patefecimus suprā in radicis mētionē, qui deturbandis renū calculis lepidium pro raphano soliti sint vsurpare, magno

fumētium damno, cum eos fugiat exulcerantem vim possidere, sæpēq; renes & vesicam intestinis erosionibus vellicare. sed hæc iam faceſſant. Lepidium inter vrentia intelligitur. sic in facie cutim emendat exulcerando, vt tamē cera & rofaceo facile sanetur. Sic lepras & psoras tollit semper facile, & cicatricū vlcera. Tradunt, adalligatam brachio quā doleat compescere dolorem. Foliorum natura exulceratrix & aspera est. quapropter ischiadicis illinuntur præſenti remedio trita cum radice inulæ, ita vt post quartam horæ partem soluantur. Lienosis simili modo prodest. Lepras emendat. Eadem radix alligata collo dentium dolorem leuare creditur. Coniectum in murias lactis lepidium inueteratur. Lactis gustum condire & signa fucarum facie depellere tradit Columella in hortorum cultu, ijs numeris,

- .. Ponitur & lactis gustum quæ condat herba,
- .. Deiectura quidem fronti data signa fucarum,
- .. Vímq; suam idcirco profitetur nomine graio.

☞ *Ranunculum, batrachium.*

Cap. CVI. 15



Lura ranunculi genera Dioscoridi demonstrantur. Vnum coriandri folijs, latioribus, subalbidis, pinguibus, flore luteo, interdum purpureo, caule gracili, cubitum alto, radice parua, amara, candida, multis capillamentis ellebori modo fibrata. Nascitur in limitibus humidis. Plinius hoc genus pinguioribus quam coriandri folijs ad latitudinem maluæ accedentibus, colore liuido, caule albo, gracili, radice candida. hoc opacis vliginosi marginibus familiare. Nostri herbarij *pedem corui*, quanuis perperam, vocant, nam folijs constat coriandri, latioribus, subalbidis, pinguibus, luteo flore, radice multis fibris capillata, amara: alteram tamen omnino quàm coronopus, de qua superius habita est mentio, demonstrauius. Vulgus nostrum huius florem *bacinulos* appellat, quòd vasis æneis tonstrinarum, in quibus barbam emolliunt, similes videantur, colore, figura: qui ob pulchritudinem iam in coronamenta venere, & à multis florū causa rusticis colitur. Effecitq; cultura, vt qui in limitibus simplici foliorū compage flores orientur, struētili quodam densòq; foliorum stipatu nunc in hortis collucescant. Alterum genus lanuginosius, vel vt Plinius ait foliosius, pluribus foliorum incisuris, altiori caule, copiosissimū in Sardinia, gustus acerrimi, quod priuatim *apium rusticum* cognomināt. Herbarij nostri *apium risus*. Ab historicis sardoniam herba, quæ in defluuijs prouenit fontanis iusto largior. Ea si edulio fuerit, vescentibus neruos contrahit, rictu ora diducit, vt qui mortem oppetunt velut ridentium facie intereant. Pausanias author est apud Sardos herbam gigni apij similitudine, quæ comedentes cum profuso risu humanis rebus exigebat. inde Homerus, & posteri risum nullo salubri sensu dignum, sardonium nominant. Nascitur herba secus fontes, nullum tamē virus pestilēs aquis impertitur. Strabo ex hac herba toxici genus Hispanos confecisse meminit, haustu cuius vrgente vi maiore citra dolorem ipsi sibi mortē consciscabant. Salustius venenati huius meminit. In Sardinia, inquit, quædā herba nascitur, quæ sardoia dicitur, apij stri similis. hæc ora hominū & rictus dolore contrahit, & quasi ridētes interimit. Dioscorides libro sexto, sardoan ranunculi genus esse testatur, quæ vescentibus

mentem adimat, & quadam neruorū distentione dehiscere in rictus ora cogat, ita vt imaginē ridentium præbeant. Ob id sardonius risus in adagiū cessit. quauis Timæus aliam originē prouerbio reddiderit, aliam Sophocles, aliam Clitarchus. Apiastrū, vt Plinius inquit, in confessa damnatione est venenatū in Sardinia. Apuleius de hac specie loquens, quantū arbitrator, inquit, Si quis eam gustauerit ieiunus, ridendo exanimabitur. vbi notandū & apiastrū antiquis, hoc est apiū syluestre ranunculum dici, q̄ satiuum modo quodam apiū folijs imitetur, manifesto Nigidij doctissimi viri errato, qui apiastrum pro melissophyllo vsurpauit. Hyginus quoq; apiastrū vocauit melissophyllon. Idem fatetur Varro linguæ latinæ doctissimus, quos & sequitur quoq; Dioscorides. In cōtraria opinione fuit Salustius, qui sardoan apiastro fecit simile, id est syluestri apio. Plinius etiam quī venenatū tradidit in Sardinia apiastrū, apertissimè de hac loquitur sardoan, nō de melissophyllo scripsit inter apij species, quāuis modo hos, modo illos sequatur. Sed illi quantū existimo, q̄ esset apibus gratum nomē deduxerūt: hi q̄ apiū æmuletur, sicut quæ ita desinūt, imitationē quandam, vt grammaticis placet, important. Sed ista facebant, quoniā de re non de Latio nobis sermo est. Tertiū genus minimū est, graui odore, flore aureo. hoc plerisq; locis cōspicitur. Quartū huic simile, flore tantū lacteo. Hoc vltimū syluis familiare, altioribus foliorū diuisuris, flore candido, exitu veris emicante. hoc syluæ, luci, nemora scatent. Rura nostra ab herbarijs vt arbitrator edocta *seniclon*, quasi ferè saniculum appellant. Sed non nihil discriminis in radice, quæ longior & modo quodā nodosa tam frequēs est & copiosa, vt verno tēpore floribus huius candicēt syluæ. Sed obiter emendanda Plinij lectio, lubrico facilisq; librariorū lapsu, qui pro lacteo in hac specie nobis luteo scriptum reliquerūt. id verbis Dioscoridis conspicuum cognoscitur. Sed ne id silentio prætereatur, Democritus in Hydroscopico batrachion, cuius flos aureo splēdet colore, chrysanthemum Græcis tradit appellari, folijs apio similibus, maiusculis, flore auri coloratu relucente. Nec herba temere binūm palmarū altitudinē excedit, inueniendis aquilegijs ab eo mire celebrata, q̄ aquæ lactices subesse loco certum sit vbi solet emicare. Omnes vrendi nanciscuntur licentiam, pustulasq; velut ignis excitant. Adalligata brachijs subinde corpus offetenus exest. Hac validi mendicantes sibi crura & lacertos dilaniant, quo possint impudentius stipē extorquere, vel hac impostura pecuniolam aucupari. hinc nonnullis herbarijs *ulceraria* dicitur, alijs *scelerata*. Si exulcerationis argumentum libeat experiri, tusam supra manum illiges & statim erodet corpus. Plinius à suis strumeam dicit appellari, quod strumis medeatur. Omnibus ranūculi generibus vis acris & vehemēter exulcerans. Si cruda folia imponantur, pustulas ignis modo faciunt. ideo ad lepras & psoras vtuntur, & ad tollenda stigmata, causticisq; que omnibus miscent. Alopecijs imponunt, celeriter remouentes. Radix in dolore commanducata diutius, rumpit dentes. Eadem sicca concisa, sternutamentum facit. Medetur strumis, & panis parte in fumo suspensa, quare veteres herbarij strumeā vocarūt. Redulcerat cicatrices & ad colorē reducit. Eadem vitiliginis concorporat. Folia, flores, cauliculi recentes, vt Dioscoridi placet, exulcerant illitu: crustas & puluillos nō sine doloris sensu creant. Scabros vngues expediunt, scabiē tollunt. Formicis quidē & verrucis omnibus imponūtur, sed statim debēt amoueri. Tepente decocto perniones fouētur. Sicca radix cōcisa sternuta-

mentum ciet, illata naribus. Dolores dentiū appensa leuat, ipsos tamen frangit.

¶ Anemone, phænon.

Cap. CVII.



Nemonen Nicander ex Adonidis cruore natam prodidit. Theocritus in bucolicis lachrymis Veneris Adonidem lugētis prodijisse finxit, eiq; dicauit epitaphium carmine hoc,

” Quotq; cruoris agit guttas hic cæsus Adonis,
 ” Tot Venus effundit lachrymas, quæ singula flores
 ” Cespite demittunt: lachrymæ pariunt anemonen,
 ” Sed cruor ille rosam creat.

Florem suū facit non multo post germen. Erumpit autumnō post aphacē primis imbribus. Inter aculeatas, sed mitioris generis Plinius collocauit. Duo eius fastigia, syluestris prima, altera in cultis nascēs. huiusq; plures species, aut enim phœniceum florem habet, aut candidum, aut lacteum, aut purpureum, folia coriandro similia, cæterum scissa tenuius inclinantur in terram, cauliculi exiles lanuginosique, super quos flores exeunt papaueris, & in medio capitula coloris nigri aut cærulei. Radix oliuæ implet magnitudinem, geniculis distincta. Syluestri per omnia maior amplitudo, latioribus folijs, durioribus, caput oblongius, flos puniceus, radiculae plures ac tenues. Aliud genus folijs nigrantibus. Plinius fatiuis folia fecit apio similia, nec temere semipedalem altitudinem excedunt, cacumine vt inquit asparagi. Flos nunquam se aperit nisi vento spirante, vnde & nomen accepit. Syluestribus amplitudo maior, *herbam venti* vocant hodie peritiores herbarij. In sabulosis & montibus, cæduis syluis inter sentes inuenitur, folijs coriandri, longè tenuioribus diuisuris, in terra iacentibus, violaceo caule, tenui, semissem alto, in cuius fastigio papaueris flos emicat, nunc purpureus, nunc lacteus, qui maxime dehiscit cum ventus aspirat. Excusso flore cacumen nascentis asparagi spectatur, exili flocco incanum, tenuiq; lanugine pubescens, quod in dilutum cæruleum quadantenus spectat, multis radicum capitamentis. Flores vere profiliunt, quos rura nostra *coquelourdes* aut *cocles* vocant. lacteos *blancas coclourdes*, purpureos *bleuas* aut *persas cocles* solent nominare. quibus in aqua decoctis, oua cæruleo vel etiam puniceo inficiunt colore. Texunt ijs rusticici vernas coronas. Foliorum extrema in molles aculeos omnino innocentes desinunt, qui tractantibus citra iniuriam cedunt. ob hoc aculeatarum, sed mollioris generis esse nonnulli voluerunt, quanuis nihil de hac re tradidit Dioscorides. Semper in incultis nascuntur, nouo vere ijs montes florent. Hos itaq; arbitror anemones dici, cum ita Plinius & Dioscorides delinient. Aliæ ab olitoribus nostris in hortis feruntur, solum coronis dicatæ, quas ob floris præstantiam & pulchritudinem *passiflores* appellant. non enim alijs cedunt, sed cum reliquis de venustate certant, folijs coriandri, multo tenuioribus incisuris, caulibus aliquantum lanuginosis, in quorū summo flores emicant purpurei, papaueris specie, & in medio capitula nigra, nonnunquam cærulea protuberant: album florem non memini me vidisse. Nosse tamen oportet, etsi flos anemones fuerit papauerino similis, non tamen capitulum quod erumpit in medio, est papaueraceum, sed velut asparagi cacumen. Non enim excusso flore calycem ostentant capitulatum feminis capacem, qualem papauer, sed recentis asparagi modo ve-

lut in spicam caput fastigiatur, & in toros quosdam stringitur. id quod plerofque traxit in errorem, qui inter erraticum papauer quod rhœas vocatur, & anemonen interstinguere non valuerunt, nec inter argemonen quoque. Verum euidens est discrimen. primum fastigiorum in argemone quidem, latiusculum superne capitulum: in erratico papauere subangustum, vtrunq; tamen papaueraceum: in anemone vero, quale nuper diximus. Est & succorum distinctio, nam argemone succum remittit croci colore acrimonia insigni: erraticum papauer lacteum succum candidumque reddit: anemone ne vllum quidem illarum succum fundit, serius item vtraque floret. Explodendus ergo ille in hæc tempora inueteratus error existimantium anemonen esse *rubrum papauer* vulgo dictum, folijs euidentiſſimè reclamantibus. Sosibius anemonas à Spartanis phænidas vocari tradit. Sunt qui Plinio authore phænium nominant. Horus Apollo Niliacus anemonæ flores inquit in Aegypto pingi, quoties hominum morbos volunt intelligi. Proſunt anemonæ capitis doloribus & inflammationibus, vuluis mulierum, lacti quoque. Et menſtrua cient cum ptifana ſumptæ aut vellere appoſitæ. Radix commanducata pituitam trahit. Dentes ſanat decocta, oculorum epiphoras diſcutit. Quæ ex ijs phœniceum florem habet, radice contrita cuiſcunq; animalium impoſita ſiſtit vlcera, aſtringente vi, & ideo expurgandis eiſdem adhibetur. Viſ omnium acris, quare ſucco in nares inuſo caput purgatur. Pituitam commanducata radix elicit. Decocta in paſſo, illitæque medetur oculorum inflammationibus. Cicatrices eorundem & hebetudines emendat. Sordida purgat vlcera. Folia & caules decoquuntur, vt cibo ſumpti lac euocent, & menſes pellant vellere appoſiti. Illitu lepras amoluntur. Quæ artemon & arſella cognominatur, recens trita præciſiones ſanare dicitur, & oculorum epiphoris mederi. Dyſentericis bibendam præcipiunt ex aqua. Conglutinat vulnera. Collectionibus efficaciter illinitur. Conuulſis punctiſque auxilio eſt. Serpentium icibus pota reſiſtit.

¶ Argemone.

Cap. CVIII.

Argemone, ſicuti tradit Dioſcorides, ſimilis eſt papaueri ſylueſtri, folijs anemonæ diuiſis, florem habet puniceum, caput in caule papaueris, quod rhœadem appellauimus, duntaxat longiore, ſupernis partibus fuſo in maiorem latitudinem, radicem rotundam, ſuccum colore croceo, ſapore acrem. Plinius argemonen folia habere anemonæ ſcripſit æqualia, diuiſa apij modo, caput in caudiculo papaueris ſylueſtris: item radicem, ſuccum croci colore acrem & acutum. Naſcitur in aruis. Tria ſtatuit genera, idq; demū probat cuius radix thus redoleat. Galenus tamen, Paulus, reliquiq; veteres Græci vno contenti genere, ſecundam ſpeciem nō adiecerunt, cum vnus duntaxat argemones meminerint. quapropter adulterinam ſuppoſitiſſimamq; eſſe credimus, quāuis in ijs qui circumferuntur preſſis codicibus inueniatur inſerta. Si vetuſtiſſima quæq; conſulantur exemplaria, nihil quod ad ſecundam ſpeciem pertineat, literis offendes exaratū. Non ſunt audiendi medici, qui luxatis literis *argemoniam* hodie vocent, herbam in frutetis prodeuntem, cauliculis in terrā reſupinatis, folijs cum adoleſcit herbaceis, vbi maturuerit ferrugineis, per ambitum ſemper ſimbriatis, quin-

nn.ij.

quefolij aut canabis similibus, singulari thyrso, quem pilosæ concolorésque vestiunt lappæ, quæ cum efflaccuerunt aridæ vestibibus propter ingredientium adhærescunt, cum hæc magis eupatoriū esse censeatur, vt suo docebimus loco. Quorum opinio facillime refelletur: nam argemone apij folium aut coriandri præsert, hæc quinquefoliū aut canabinum exprimit. Illa florē dimittit puniceū, hæc si diligenter inspiciatur, luteum. Illa papaueris erratici caput extendit, hæc pilis horrentes lappas in caulis fastigio demonstrat. Est & etiamnū succorū discrimē. Argemone succū fundit colore croci acrem. Altera etsi radix exprimitur, nullo suffectū colore dimittit. Cum omnia reclamant huius deliniamēta, aliam ab hac prorsus dissidentē esse fatendū est. Diuersum videtur genus esse quod apud Plinium vigesimoquarto volumine vocatur argemon, quam Minerua reperit suis ijs remediū, qui de illa gustauerint. In aruis herba quædā inuenitur erratico papaueri simillima, capitulo & flore, folijs coriani, tenuioribus multo segmentis, in totum habitu glabro, sed omnino rustico nomine defuncta. Hanc herbarij syluestrium papauerū generibus perperam assignant, negligentes hoc quod modo diximus discrimē. Argemonia radice eius denarij pondere in vini cyathis tribus contra serpētes potatur. Anginæ medetur sumpta ex vino. Septē diebus in vino sumpta lienem consumere dicitur. Vt profit inguinibus in manibus tantum habenda est. Ex melle tusa podagræ medetur. Eadē torpentibus membris prodest, & ad omnia quæ periclitātur secari discutiendo. Neruis & articulis cōuenit tusa ex melle. Ad carcinomata efficacissima est. Ea verrucas tollit ex aceto. Argemas & nubeculas expurgat. Folia illitu inflāmationes cōpescunt. Crateias herbarius argemonen narrat tufam cū axungia strumas discutere, vitilignes nigras cum nitro & sulphure ignem nō experto concorporare: in hoc desiderium adficari, contundi, cribrari, vt qui vtūtur conficēt ea sese in balneis, antequā in soliu descendat. Eandem cōtra scabiē corporū prodesse tradunt. Aliqui recentē detritam præcisiones imposito sanare, epiphoris oculorū mederi, potā ex aqua dysentericis auxiliari, vulnera cōglutinare, collectionibus efficaciter illini. eodemq; modo conuulsis punctisq; auxilio esse, serpentū percussibus in vino datam resistere. Argemon herbam Minerua reperit suis ijs remediū, qui de illa gustauerint, quam mederi tradunt eisdem effossam sine ferro, & additam in colluuiē poturis, vel ex lacte & vino. an eadem cum argemone nescio.

¶ *Anagallis.*

Cap. CIX.



Nagallis in duo genera dirimitur. foemina flore cæruleo conspicitur, mas puniceo. Iacet in terra vterque sexus. Folia in cauliculis quadratis pusilla & modice rotunda, ad helxinæ similitudinē. gerit semen quoque orbiculatum. Plinius Dioscoridis exemplo duo constituit genera, Marem flore phœniceo, foeminam cæruleo, non altiores palmo, frutice tenero, folijs pusillis, rotūdis, in terra iacentibus. Nascūtur in hortis & aquosis. Mirū, quòd foeminam pecora vitant. at si decepta similitudine (flore enim tantū distant) degustauere, statim eam in remedio querunt quæ asyla vocatur, à Romanis ferus oculus. Anagallis hodie *morgelina* siue *gallinæ morsus* vulgo nominatur. Nec quicquam certius his scriptorum picturis respondet, cum duplex sit in flore color, quadranguli caules per terram sparsi, &

pauca non tota ambitu rotunda folia, semen ei coriani circinatum, radix minu-
 ta, subdulcis. pedibus in aruis vbique proteritur, in viginosis lætior prouenit.
 Galenus vtranq; tradit anagallidem siue quæ florem parit cæruleum, siue quæ
 phœniceum, quendam attractorium calorē possidere, quo spicula vel impactos
 5 corpori refigit aculeos. Qua de causa succus naribus raptus caput purgat, &
 vt summatim dicatur exiccatoriam vim citra morsum obtinet. quare vulnera
 glutinant. Idem de vtraque sentit Paulus. Constat itaq; duas tantum esse ana-
 gallides discrimine vel floris vel sexus insignes. Hallucinātur qui *mouronem* vul-
 go dictum aut *pauerinam* florem candidum ferentem, huic anagallidum connu-
 10 bio retulerunt, illius virilis fœmineiq; sexus diuortium facientes. Nam hæc cau-
 liculo rotundo, folijs helxine minoribus, non sic hirsutis exit, de qua dicemus in
 asine. Hippocrates anagallim herbā siccandis vulneribus probauit, quā videtur
 satis intellexisse, præsertim cū itidem tradat Galenus. Aëtius nycterida ad caligi-
 nes oculorum commendauit, quam pro anagallide, vt arbitror, accipiendā reli-
 15 quit, quandoquidem & nycteris inter cæteras nomenclationes Dioscoridis le-
 gitur. Paulus in ea compositione quā podagræ dicauit, diacorallij cognomine,
 anagallim flore puniceo micantem, coralliam appellauit, à qua nomen est inditū
 medicamento, non alia forsitan de causa quòd colore flos corallium imitetur.
 Quamquam vetustissima nō mihi desint exemplaria quingentorum plus anno-
 20 rum, in quibus collarion non corallion scribatur. Nec ab re fortassis, quoniam
 & glutinandi facultatem, authore Galeno simul & Hippocrate, sibi vti supra di-
 ctum est vendicauit. quare minime putamus hærendū, quin Paulo diacollarion
 potius sit scribendum. Nanque phœnicea anagallis vt ostensum est oras vulne-
 rum suo glutine committit, quod *κολλῶν* vocant Græci, à quo effectu merito col-
 25 larion diminutrice formula quasi glutinulum posset appellari. Facit huius rei fi-
 dem, quòd alio præsertim loco pastilli meminerit alterius, quem diacorallion
 verius inscripsit, cui corallius lapis insumitur. Nec me fugit Actuariū in quodā
 antidoto cui diacoralliu titulum fecit, anagallidem puniceum florem ferentem,
 corallium appellasse, nescio an rectius collarion, cū, authore Galeno, citra mor-
 30 sum exiccet & vulnera glutinet. Errant quoq; non mediocriter, qui myosotida
 siue muris auriculā, pro anagallide compictā præferūt, vt suo loco demonstrabi-
 mus. Plinius tradit anagallim quibusdā corchoron vocari, quod & Dioscorides
 asserit, quo nomine venit in adagiū græcis, *κόρχος ἐν λαχάνοις*, quod est corchorus
 inter olera: trāsferturq; ad frugales quosdā & indignos, qui sua fortuna maiores
 35 sibi quærāt honores, & gloriam q̄ se deceat clariorē aucupentur, cū humilis nec
 palmū excedēs herbula, inter grādissima queq; olera sibi locū destinet, & interna-
 sci lætetur. Quāuis in aliū sensum detorsit Theophrastus septimo historiarū,
 volens corchorū ob amaritudinē proverbio dicatum esse, ac foliū eius ocymum
 sanè æmulari. Taxauit eos potius qui gratā voluptatē suauiorémq; nōnullorum
 40 cōsuetudinē qua frui possent, tristi vel amarulēto conuētū turbant. Qui magicis
 superstitionibus sunt imbuti præcipiūt ante solis ortū prius q̄ aliquid quicquam
 loquantur, anagallidē salutare, tū sublatā exprimere, ita præcipuas fortiri vires.
 Vrinam cient anagallides. Aluū purgant ex aqua mulsa. Iocineri mire profunt.
 Cohibēt quas nomas vocāt, & rheumatismos. Vtiles & recētibus plagis præcipuè
 45 seuū corpori. Ad recentia quoq; vulnera tanta traditur vis, vt saniē ossibus ex-

trahant. Anagallis cærulea procidentia sedis retro agit, è diuerso rubens prori-
tat. Hydropicos sanat earū succus duabus linguis in aqua potus. Caput purgat
per nares infusus, ita vt deinde vino colluantur. Bibitur & contra angues succi
drachma in vino. Vtriusque succus oculorum caliginē discutit, & ex ictu cruo-
rem & argema rubens magis cū Attico melle perunctis. Pupillas dilatat & ideo
hoc inunguntur ante, quibus paracētesis fit. Iumentorum quoque oculis meden-
tur. Vtriq; mitigandi vis. Inflammationes arcet, spicula corporibus eijcit, erra-
tica compefcit vlcera. Succus gargarissatus pituitam capitis elicit. Per nares in-
fusus dentium sedat dolorē, ita vt à contraria nare iniiciatur. Argema cum At-
tico melle emendat, oculorum caliginem discutit. Datur bibendus contra ser-
pentes, item iocineris renūmq; morbos. Tradunt, eam quæ cæruleum habet flo-
rem prociduum sedem reprimere, quæ phœniceum illitu prouocare.

¶ *Chelidonium maius.*

Cap. CX.



Helidonium maius caule cubitali confurgit & amplius, adnatis
compluribus, foliosis, folijs ranunculi tenerioribus, cæruleo co-
lore nitidis. Flos assidet albæ violæ iuxta singula folia. Succus
in ea croci, mordax, acer non sine quadam amaritudine gra-
ueolentiâque. Radix supernè singularis, inferne multiplex in
croci capillamenta fibratur. Siliqua cornuti papaueris tenuis,
longa, in metæ figuram, in qua semuncula papauere maiora continentur. Plin-
nius maiorem deliniauit chelidonium fruticoso caule, folio pastinacæ erraticæ,
ampliore ipsa altitudine duūm cubitorū. colos albicans, flos luteus, succus cro-
ci mordax, semen papaueris. Officinis hæc suum retinuit nomen. Vulgus Gal-
licum *ecleram* appellat, quòd caligantibus oculis aciem videndi restituat. Nasci-
tur in opacis & parietinis, fruticosa, cubitali altitudine, cauliculis lanuginosis,
teneris, folio ranunculi, magis anguloso, tenui, aduersa parte cæsiō, auersa inca-
no, flore luteo, violæ candidæ cōsimili, semine papaueris, quod in corniculis lon-
gis exilibus continetur. Vulnerata succum croci remittit, gustum vellicantem.
Radix superne singularis, inferne multis luteis fibris capillata. Chelidonium, vt
ait Theophrastus, hirundinum aduentu florem excitat. Hanc herbam illæ aues
adinuenerunt. Hac enim, vt Plinius author est, hirundines oculis pullorum in ni-
do restituunt visum, & vt quidam volunt etiam erutis oculis. Hoc idem testa-
tur Aristoteles quarto de generatione animalium volumine, qui statim quàm de
quibusdam auiculis egisset, quæ cæcos excludunt pullos, subiecit quamobrem
si quis nuper in lucem æditarum hirundinum oculos præpungat, rursus inco-
lumes reddentur. Dioscorides quosdam citat, qui scribant hirundines matres
pullis suis in nido luminum sedibus herbam hanc admouentes cæcitātē depel-
lere, & momento visum restitui. Celsus Cornelius commentitium id esse putat,
sexto libro, vbi de oculis agit, qui extrinsecus offenduntur, volens, si ictus oculū
læsit vt sanguis in eo suffundatur, nihil cōmodius quàm columbi, palumbi, vel
hirūdinis sanguinē perungere. neq; id sine causa fit, cum eorū acies extrinsecus
læsa interposito tēpore in antiquum statum redeat, celeberrimèq; hirundinis. Vnde
de etiā locus fabulæ factus est, per parētes id herba restitui, quod per se sanescit.
Eorum ergo sanguis nostros quoq; oculos ab externo casu commodissimè tue-

tur. Hoc ordine, vt sit hirundinis optimus, deinde palumbi, minime efficax columbæ & illi ipsi & nobis. Negauit itaque pullos oculis captos hac herba per matres pristinae claritati restitui. Nec hæc naturæ decretis aduersantur, quæ sanxit orbos in priorem habitum non regredi, sed perfectis tantum. Iis vero quæ fiunt si læsum fuerit aliquid, id oriri denuo potest, iacturâq; partis alicuius potest refarciri, cum genitalis facultas lege naturæ inchoatum opus adhuc absoluens, non euanuerit, sed deliniationis fungēs munere, naçta materiam, damnum instaurare potest. Nuper exclusi hirundinum pulli non vident, imperfectiq; æduntur in lucem. quare cum oculis nondum absolutis adhuc insideat genitalis aurâ, punctos erutosque potest reparare: multo magis adiuta herbæ chelidonij ope à parentibus inditi, quo felicius officium suum prosequitur. sed de ijs hæcenus. Floribus succus exprimitur & in æneo vase cum melle Attico leniter cinere feruenti decoquitur singulari remedio contra caligines oculorum. Vtuntur & per se succo collyrijs quæ chelidonia vocantur ab ea, Chelidonia siccantur vlcera adeò, vt pro spodio vtantur. Eadem cum axungia iam desperatis imponitur. Menses nimios mammis admota sistit. Succus in æneo vase cum melle in pruna decoctus oculis claritatem adfert, & caligines eorundem discutit. Folijs, caule, radicibus succus excipitur æstatis initio, & in vmbra siccatus digeritur in pastillos. Radix cum aniso & albo vino pota medetur regio morbo, vlcerebûsque quæ serpunt imponitur. Dentium dolorem commanducata sedat. Nomen ei videtur inditum, quoniam floret aduētu hirundinum, discessûq; marcessit. Sunt qui scribant hirundines matres orbatis lumine pullis inunctu momento cæcitatem depellere.

¶ *Chelidonium minus.*

Cap. CXI.

P Arua pingitur à Dioscoride herba chelidoniũ minus, sine caule, folijs hederæ rotundioribus, minoribûsq;, pediculis quibusdam à radice dependentibus, item teneris & aliquatenus pinguibus. Radices habet pusillas, frequentes ex eodem callo prodeuntes, in tritici modum aceruatim congestas, quarũ tres aut quatuor tantum in longitudinem progrediuntur. In limitibus humidis & palustribus gignitur. Plinius minori chelidoniæ folia hederæ assignat, rotundiora, minus candida. Hæc à nullis nunc ostenditur herbarijs vel medicis, quod demiror, cum nulla verno tempore frequentior occurrat, præsertim hirundinum aduentu: & marginibus aquosis inueniatur, qua nulli non vliginosi tractus scatent. Quam longe dissidenti nomine, proprio ignorato, nunc officinæ vocant *scrofulariam*, quòd strumosa radix multis granorum frumenti grumis videatur coaluisse. quanquam putent inditam appellatione, quòd strumis (quas vocant græca imitatione non latina scrofulas) medeatur. Sed ne sine peculiari demonstratione testemur, id euidenter pictura poterit comprobari. Siquidem *scrofularia* herbula est à pediculis pendens, vidua caule, folijs hederæ, rotundioribus multo minoribûsque, teneris & modicè pinguibus. Radices ostendit ex eodem callo prodeuntes, paruas, complures in granorum tritici morem aceruatim congestas, quarum tres vel quatuor in longum protenduntur. Humida sequitur & palustria. Floret aduentu hirundinum, nec longo post tempo-

re marcescens euanescit, sic vt irrigui limites, qui largo foliorum florūmq; stipatu pubescebant, confestim ijs spoliati glabrescere conspiciuntur. qua de causa chelidonium, id est hirundinariam dici nulli dubium est. Flos ei ranunculi, luteo colore nitens. Quòd si vires libeat experiri, magnam præferet acrimoniam, gustum acerbè vellicantem, argumēto Galeni & sectatoris eius Pauli, quòd celeriter illita cutem exulceret, quod & pueri sæpius probant. quare & scabros vngues excutit, & scabiem abolet. Succo etiam herbæ capitis purgationem moluntur medici, vtpote qui magno sit præditus acremento. nam, vt Galeno placet, in quarti recessus calfacientis initium se recepit, cum maius tertiū sibi vendicauerit ordinem. Cum itaq; tota Dioscoridis ac veterum deliniatio suffragetur, omnesque vires suum addiderint calculum, *serofulariam* vulgo dictam nemo chelidonium esse minus inficias ibit. Luxatam esse Plinij lectionem quis facile deprehendet, cum maiori chelidoniæ reddatur colos albicans, flos luteus: minori folia hederæ, rotundiora, minus candida, succus croci mordax, semē papaueris: cum hæc duo postrema de maiore traduntur à Dioscoride. Nanq; minor acrem possidet succum, non tamē vlllo pacto luteum, nec papaueris semen, imò florem puto sine semine proferre, radicibus potius quàm seminio nasci. Sic ergo in sedem restituetur luxata pars, Maiori colos albicans, flos luteus, succus croci mordax, semen papaueris. nisi quis ea quæ breuiter de minori chelidonio scribuntur, parenthesis censeat interiecta. Nō audiendi sunt Arabicæ factionis auctores, qui chelidonium minus glaucium putant esse, quod ipsi *memithen* dicunt: quorum error apertior est quàm vt refutari desideret. Vis ei acris, & phænij modo summam cutem exulcerans. P foras & scabros vngues tollit. Succus radicum in nares illatus cum melle purgat caput. Decoctum eius cum melle gargarissatum caput validius inanit, & tædia omnia pectoris discutit.

¶ *Othonna.*

Cap. CXII.



Arum de othonna inter veteres conuenit. Alij succum chelidoniæ maioris intelligunt, alij succum glaucij, alij liquorem floribus cornuti papaueris expressum. Sunt qui triplicis succi miscellā ex anagallide cærulea, appollinari, & papauere interpretentur. Non desunt qui liquorem esse contendunt herbæ cuiusdam Troglodyticæ, quæ dicatur othonna. Nasci eam in Arabia quæ secundum Aegyptum sit, erucae similem, perforatis crebro folijs tanquam à tineis esset pertusa, eisdem squalidis & paucioribus, flore croci, latifolio. quare à quibusdam inter anemonæ species collocatur. Aliquibus tamen placet, lapidem esse in Aegypti Thebaide nascentē, exigua magnitudine, candido colore, gustu mordaci, cum feruore quodam & astrictione. Plinius othonnen in Syria nasci memoriæ prodidit, similē erucae, perforatis crebro folijs, flore croci. quare quidam anemonen vocauerunt. Paulus nonnullis succum esse meminit herbæ prouenientis in Arabia, quæ confinis est Aegypto: quanquā aliqui lapidem Aegyptium esse fateantur. quanuis idem in plerisque compositionibus othonnam nominans maioris chelidonij succum interpretetur. Quare nobis non est laborandum, vt quid sit othonna demonstretur, cum Dioscoridi, & post eum cunctis authoribus non satis fuerit cognita, sed ex aliorum opinione famaque tantū pro-

ditā. Qui othonnam in Arabia quæ secūdum Aegyptum sit, nasci tradunt simi-
lem cruce, perforatis crebro folijs, & veluti derosis à tinea, scabris & obsitis pulue-
re, minime frequentibus, flore croci, latifolio, anemonæ speciem esse putauerunt.
Extractus succus oculorum medicamentis conuenit. Mordet leniter & ex calfa-
cit astringitque siccando. Purgat cicatrices & nubeculas, & quicquid obstat. Ca-
liginem oculorum discutit, & quæcunq; claritati eorundem officiant. Quidam
tradunt, lauari atq; ita siccatum digeri in pastillos. Aiunt alij liquorē quendam ea
herba defluere qui lotus exarenatūsq; cogitur in pastillos ad eadem vtilis.

¶ *Alfine.*

Cap. CXIII.

Alfine, alij myosota, Italia muris auriculam vocat. quod nomen
inuenit à folijs, quibus aures musculorum imitatur. Eadem alfi-
ne dicta, quòd lucis opacisq; gaudeat. Hæc eadem erat quæ hel-
xine, nisi humilior esset & minoribus folijs. hæc Dioscorides. Na-
scitur in lucis vt Plinio placet, vnde dicta est alfine. Incipit à me-
dia hyeme, arescit æstate media. Cum prorepit, musculorum au-
res imitatur folijs. Sed aliam docet quæ iustius myosotis vocetur. Hæc eadem e-
rat quæ helxine, nisi minor minūsq; hirsuta esset. Nascitur in hortis & maxime
in parietibus. Cum teritur odorem cucumis reddit. Ea est, arbitror, quam verna-
culo sermone Galli *mouronem* quasi muraurem vel potius muris aurē appellant,
Itali *pauerinam*, quòd anseribus gratū pabulum sumministret. Auiculas caueis in-
clusas, cum fastidiunt escam, aucupes solent hoc cibo recreare, quandoquidem
helxinæ similis est, minoribus tantum folijs, minūsq; hirsutis. In hortis quoque
prorepit, & macerijs opacisq; lætatur. Vita semestri contenta, sicuti dictum est.
Herbæ cucumis cum teritur odorem remittit, sed non illam peponis maturi iu-
cunditatem, sed herbaceum cucumeris virus subolet. quāquam id quod de odore
memorant, multis exemplaribus Dioscoridis non legitur. Verum vt reliquā pro-
sequar finitionem, cauliculis serpit teretibus articulosis, è quorum geniculis exi-
les ramuli prosiliunt, folijs helxinæ minoribus, nec tantum hirsutis, flore paruo,
candido, foris herbaceo. Hallucinantur qui hanc anagallidis generibus assignent,
cum latissimo discrimine inter sese discrepent. siquidem anagallis quadrato cau-
liculo surgit, flore ceruleo vel purpureo: hæc terete ac articulis interstincto cau-
le proserpit, flore candido. Si vires quoque scrutemur, huius alfinæ inueniemus
quæ traduntur à Galeno conuenire, videlicet herbulam viribus helxinæ proxi-
mam, aquoso concretu frigidōque constantem: quare citra astrictionem refrige-
rat, feruidis collectionibus auxiliatur, & ignibus sacris opē adfert. Vulgus quoq;
succum iam v surpauit ad mulcēdam corporis pruriginem. De hac sub vocabu-
lo alfine libro quarto repetūtur omnia titulo solum variato, quare nihil inibi di-
cere decreuimus. Sed hæc potius alfine Galeno Paulóque dicitur, sequens myof-
otis, id est auricula muris. Vsus eius ad refrigerandum cum polenta. Epiphoris
oculorum imponitur: item verendis, vlceribus cum farina hordeacea. Succus au-
ribus infunditur. quin & emendat omnia quæ helxine, sed infirmius.

¶ *Myosotis altera.*

Cap. CXIII.



Altera myosotis vocatur, cauliculis pluribus ab ima radice aliquatenus rubentibus, cōcauis ab imo, folijs angustis, oblongis, dorso acuto, nigris, per interualla assidue geminatis, in mucronem paulatim se contrahentibus, tenuibus coliculis ex alis prodeuntibus, flore cæruleo velut anagallidis. radix digitali crassitudine multis capillamentis fibrata. In summa, scolopēdrio similis est, læuior duntaxat & minor. Eadē de myosotide nominatim differuit Plinius naturalis historiæ libro vigesimo septimo. Galenus ordine tertio resiccare prodidit, nullum tamen manifestum calorē possidet. Paulus myosoton ad alfinen remisit, nec huius velut distinctæ mētionem fecit, vires silentio prætermittens. Inuenitur frequenter herba caulibus multis ab ima radice profiliētib; quadante nus ab imo rubris & concauis, folijs angustis, oblongis, non sine dorso prominentis exertu, nigricantibus, per interualla deinceps geminatim copulatis, in mucronem definentibus, coliculis ex alarum sinu prodeūtib; flore cæruleo, radice digitali crassitudine, multis fibris capillata, satis ad scolopēdrium accedens. Sed nomine vacat Gallico. nec huic respondet deliniationi, quæ partim ab herbarijs pilosella, partim auricula muris appellatur, quanuis humi proserpat, & nunquam à solo sustollatur, folijs sessilibus, latis, in mucronem exeuntibus, pilosis, muscolum aures exprimentibus, præsertim antequam explicētur perfectè, geminatim maritatis, prælongis, vitilibus, itidem solo reptantibus, flore ranūculi luteo. Pro dunt, ferrum quod huius succo cōmaduerit tandem contrahere duritiem, tamque magnum induere rigorē, vt chalybis aciem respuat, & scobinæ modo quodcunq; ferramentū elimet, imò potius dissecet. Inuenitur in asperis & incultis agrorum limitibus. nam flos qui in ea luteus cernitur, apertissimè muris auriculæ distentit, foliāque longioribus interstitijs distant, quàm vt possent scolopendriū herbam repræsentare. dorso quoq; carent eminulo, tergique perpetuum æquor apparet. Hæc pilosella tamen ab officinis dicta. Nascitur in vallibus, folijs quadrantalibus, lanuginosis, albicantibus, in terram sparsis, flore luteo, radice numerosa, sed exili. Ferunt, foliorum farinam vulnera mirum in modum glutinare. Herbarum recentis exprimunt succū ad cohibendos quartanæ febris horrores. Eodem tingunt gladiatorum aciem, vt omne ferrum aliud domet, secētq;. Igne admoto sanies destillat, qua epota iocinerosis præsentius inueniri remedium negant. Huius radix illita egilopas sanat. Tradunt Aegyptij si quis in Augusto mense incurrente huius herbæ succo inungatur mane priusquam loquatur, eo anno non lippiturum. Non defuere qui helxinen ipsam hoc nomine vocauerint.

¶ *Satis, glastum.*

Cap. CXV.



Satis fatiua siue glastum, quo infectores lanarū vtuntur, folia fert plantagini similia, sed pinguiora nigrioraq;, caulē duūm cubitorū & ampliorem. Plinio glastum, quo infectores lanarum vtuntur, simile fuit lapatho syluestri folijs, nisi quòd plura habet & nigriora, sed sponte nascentibus lactucis annumerat. Cæsar commentariorū quinto de Gallico bello tradit omneis se Britannos vltro glasto inficere, quòd

cæruleum efficiat colorem, atque hoc horridiores fieri in pugna aspectu. Simile, vt inquit Plinius, plantagini glastum in Gallia vocatur, quo Britannorum coniuges nurusque toto corpore oblitæ in sacris nudæ incedebant, Aethiopum colorem imitantes. Glastum olim Galli dixere, nunc *guadam* vel potius *gualdum*, nonnulli *sancti Philippi herbam*. sunt qui Indicum à colore nominent. glastum hoc est infectoribus dicatum. Magnum questum multis regionibus adfert. Viridem herbam trusatilibus molis premunt, vt herbaceam faniem excludant: dein abacto liquore digerunt in magnos globos, quos tabulatis in cinerem computrescere sinunt, *pastellum* plerisque locis ab effigie pastillorum in quam glomerantur, nominantes. Hos cortinis infectoriæ coquunt officinæ, & laneos pannos ac vellera demergunt, vt cæruleum ebibant colorem. Cæruleam illam spumam innatantem quam igni conferuescentes eructant cortinæ, *indum* nostri vocant infectores. hanc ad pictorum vsus siccant. Dioscorides egnen quoque vocari prodit, quam suspicor ignen ab Hippocrate dici. Sunt qui hoc sibi titulo placeant, quod vocem vitiatam ruta vel aluta in Romanam se restituisse credant, luteum scribentes. de qua Plinius & Vitruuius authores Latini tantum inter colores mentionem fecerunt, quorum diligentiam in emendandis ijs falsis nomenclationibus non possum non probare. Sed lutea herba an fuerit eadem glasto non mihi satis adhuc est exploratum. Nam testimonia quæ pro se citant, aliam à glasto esse manifestè persuadent. Plinius chryfocolla, inquit, illa quoque herba tingitur, quam luteam appellant. Et paulopost subdidit, luteam chryfocollam ab herba lutea dictam putant, quam ipsam cæruleo sublitam pro chryfocolla inducunt. Non itaque cæruleo sufficit colore, sed potius luteo, vel certe viridi, cum cæruleo sublita chryfocollæ colorè mentiatur, qui viridis ab eodem traditur. Vitruuius in septimo voluminis calce manifestius ait, Qui non possunt chryfocolla propter caritatē vti, herba quæ luteum appellatur, cæruleum inficiunt, & vtuntur viridissimo colore. hæc autem, inquit, infectiua appellatur. Sed constitit inter omnes quæ glasto imbuuntur cæruleum sorbere colorem. Si ergo lutea glastum sit, cæruleum quoque reddet, quem quantumcunque infeceris, virorem nunquam contrahet, sed cæruleum firmabit. Alium itaque parere colorem luteum ex miscella & lege colorum facile constabit, si cæruleum luteo diluas colore viridis colos enascetur. namque id à principijs colorum peti potest. Cæruleum multum habet atri vel opaci, viride multo minus. vt igitur in virorem degeneret cæruleum, mediū postulabit, quod multum lucis & candoris habeat, quale luteum est. quam tētare cōmitionem pictores optime norunt. Nec ignorant etiānum infectores, qui cæruleo, quem glastum reddidit, luteum superinducunt colorè, vt virorem lanæ concipiant. Quapropter ea suo nomine luteum colorem pollicetur, quem per se præstat, nisi cærulei sublitus superueniente luteo viroris imaginè mentiatur. Nonne vides æruginem, quæ cæruleo ferè pollet, si croceo liquore diluatur, pulcherrimū inducere virorem? Habetur nostra ætate herba quæ cortinis suffectorijs indita luteū lanis præbet colorè, cuius apud nos maximus increbuit vsus. infectores colori cæruleo, quem glastum excitauit, superinducunt, & viridem efficiunt colorem, quæ forsitan lutea fuit antiquitati. Ea folijs prælongis, pinguibus & arctis, cubitali caule, interdum altiori, toroso, flore exili, luteo, frequentibus in cacumine folliculis, cruciformibus, asperis, sed tam denso fastigij stipatu, vt ij quandam spicæ

rū imaginē monstrēt, in quibus semen includitur, radice longa, singulari crassāq; multis locis sponte nascitur, sed magno iam compedio serunt in agris. Quæ nisi forte fortuna domino decoquat, magnum ex eo sentit prouentum. nanq; eruta solo radicitus in fasces magnos cogitur, donec vsurpetur ad infectus. Siccata in luteum colorē pallescit, aut certe languet in pallidum, luteo quoq; colore pānos tingit. *Gaudum* etiam nostra rura vocant vel *gaisdum*. Porrò tam ex colore quem siccata præfert q̄ decocto, quod lanæ resorbētes ebibunt, lutea merito vocari potest. Nec quicquā à Plinio Vitruuióq; nisi inter colores tantum, sine herbæ notis peculiaribus dictū est, quòd esset forsitan non medicinæ, sed infecturis nata. Nec me fugit Dioscoridem lysimachiam lytron appellasse, item Plinium, quod aliqui deprauiatum putant, legendūmq; censent luteū, qua glasti cærulei superinducta viridem exhibēt colorem. Verisimile tamen, vt lysimachiam, quasi discordiā bel- lūmque dirimet, esse nuncupatam. nam calcitronum boum ceruicibus imposita cohibet asperitatem, ita lytron, quod pro liberatione premiū importat, dici verisimile fuerit, q̄ sedatæ discordiæ munus postulet. Sed de ijs plura in lysimachia mentione. I satis syluatica siue malis glastum syluestre, satiuæ similis habetur. folia fert maiora lactucaceis, caules tenuiores, multifidos, quadam tenuis rubentes, è quorum cacuminibus folliculi numerosi linguæ speciem repræsentantes dependent, in quibus semen. flore præterea gracili, luteo. quæ postea huic adijciuntur syluestri glasto, pugnāt cum istis. Videntur quoq; spuria quædā huic finitioni Dioscoridis accreuisse. Parum sibi constitisset ijs author, si florem huic reddidisset luteum, nec multo post purpureum vel cæruleum tribuisset: ingenuēq; fateretur vanas esse quas inseruerat descriptiones, & à veritate penitus deficere. Quotus quisque tam versatili fuerit ingenio, vt secum in eadem finitione pugnaret, & à suis illico decretis descisceret: nempe nemo nisi mente captus, vel quem penitus memoria defecisset. Adde, quòd ea vetustissimis exemplaribus non leguntur. quare velut futilia quædam ac nullius in hac parte momēti sunt expungēda. Sanguinē sistit glastū. Phagedenas & putrescentia vlcera, & quæ serpunt sanat: item tumores ante suppurationem. Contra ignem sacrum radice vel folijs prodest, vel ad lienes pota. Recentia vulnera glutinat, ideóque cruentis iniicitur. Syluestre glastum eadem quæ mox supradicta præstat. Potu & illitu lienosis auxiliatur.

¶ *Telephium.*

Cap. CXVI.



Telephium herba portulacæ similis caule & folijs, alas binas in singulis foliorū geniculis annectit. ramuli ab radice seni septenive fruticant, folijs referti cæruleis, crassis, lentis, carnosis, flore luteo, vel albo. Nascitur inter vites & locis cultis vere. Breuius Dioscoride Plinius descripsit, Telephium portulacæ similis & caule & folijs. rami à radice septeni octonive fruticāt, folijs crassis, carnosis. Nascitur in cultis & maxime inter vites. Hodie Galli partim *vineaticam semperuiuam*, partim *cicotrinum* appellant. Herbarij nostri *fabam inuersam*, alij *crassulam minorem*, quòd crasso pinguique constet folio. nam hæc inuenitur in cultis & sæpe inter vites, senis septenive ramulis emicans, portulacæ nõ absimilis, folijs cæruleis, pinguibus, lentis, carnosis, flore nunc albo, nunc luteo. Viuax est supra modum, erutāque diu sese prorogat. quare nonnulli quoddam sedi ge-

nus seu semperuiui suspicantur. Siccare eā & abstergere docet aperte leuis amaror, qui gustu percipitur: quare vitiligines emendare certum est, & vt tradit Galenus, putrilaginosi vlceribus opitulari. Vnde telephij nomen ductū puto, quòd vlceribus malis quibus rex Mysiæ Telephus cōsenuit, ab Achille vulneratus auxilietur. Dioscorides senos septenósque à radice ramos tribuit, Plinius octonos. Differre merito credimus telephiū à syluestri portulaca, quam agriā andrachnen appellant. quādoquidem vterq; medicinas earum notásq; seorsum ceu diuersorum generum reddidit. Telephium herbam hoc loco designatam sunt qui putāt esse quā multæ vocant officinæ præsertim Romanæ *pulmonariā*. Vegetius in medicina pulmonariam nominat, quam consiliginē dici prodit bubulcis & veterinarijs præclare cognitam, sed telephium non esse satis inter veteres constitit, cum Plinius nuper inuentam asseruerit cōsiliginem, telephium vero nomine ipso & inuentionis & vsus vetustatem fateatur. Radiculæ consiliginis Plinius & Columella dūtaxat meminerūt, quasi superficies in nullo haberetur pretio. Dioscorides radicem telephij subticuit herbam tantum cōmendans: quapropter vel nō dum ad vsus eruperat, vel diuersam quis nō ab re suspicabitur. Item Plinius medicinas vtriusq; seorsum varijs locis reddidit quasi diuersarum. Radix tamen à Dioscoride non exprimitur, quæ profecto ob sui raritatem non fuerat omittenda, cum in numerosa fabarum tubercula coalescat. vnde putauerim inuersam fabam herbarijs appellari. Nam fabaginū cacumen pluribus fabis est onustū: contra radix ima innumeris tuberibus scatet, quæ fabarum implent magnitudinem. Folia senis horis illita albas vitiligines concorporant, sed postea hordeacea farina illini debet. Perunctas etiam in sole lentiginēs emaculant cum aceto, & cum inaruerint auferuntur. Medentur vulneribus & fistulis. Sunt qui vitiligini, lentigini ternis ferè mensibus senis horis noctis aut diei perlini præcipiant, dein hordei farinam inspargi iubent.

¶ *Acanos. Acorna.*

Cap. CXVII.



Canos herba est spinosa, breuis, latioribus quàm eryngij aculeis, capite magno, chamæleoni albo simili, quam impositam ruētis sanguinis impetū infrenare tradunt. Eryngio à quibusdam contribuitur vt tradit Aëtius, forsitan quòd eryngiū in quibusdam æmuletur. Cæterum acanon ab eryngio Theophrastus fecernere videtur, cum vtriusque seorsum meminerit. Alij, vt idem inquit, chamæleonem album vocauerunt acanon, quòd suo echinato capite chamæleonem imitetur. Porrò non multum ab ea quam vulgus *calcatrepam* appellat dissidere cognoscitur, cum aculeata sit & breuis, latis & nocētibus vallata spinis, caule breui ac toroso, floribus seu potius pappis in cacumine purpureis, rotundis capitibus, & spinarum septo muricatis. inde nomen in vulgus abiit, quòd murices *calcatrapas* nominet. radice candida, digitali. Hanc spinam humo erutā rura domorum laquearibus appendunt, ad arcenda vt putant maleficorum veneficia. Nascitur in incultis & asperis vbique. Ea spinæ breuitate, & multitudine capitulorum rigentibus aculeis armatorum eryngium sectatur, ideo eryngiorum generi nonnullis, vt Aëtius retulit, adscribitur. Echinato capitellorum habitu reliquaq; facie album chamæleonem exprimit, quare ipsum acanon, vt Theophras-

stus testatum reliquit, aliqui vocauerunt. inde ab acano Latinis quæ aculeato sunt conceptu, aut floris sede, fructuq; spinoso, feliciter acanacea dicuntur, laborantibus Græcis vno verbo hos tres affectus includere. Ceterū iuxta cui radix foliosa, ex qua similis malo carduus seminis plenus extuberat, seminalis acanus Theophrasto dicitur, cuius inciso vertice summo lachryma erumpit, iucundi saporis, acanthis mastiche vocata, proptereaq; adulterium ex ea fit. Germinat atq; floret æstate folio & caule lanugines spinosas habēs. Acorna herba est acanacearum generis, caule & folijs lanuginē spinosa mordax, & quod ratione simplici potest exprimi, cneco similis vrbano, colore flauo, succo pingui. Acornæ, vt Theophrastus est author, spina pro folio est, vernaculo cneco similis, colore tantū rufo, succo pingui. Eadem erat quæ attractylis seu syluestre cnecū, si candidior esset, & decerpta cute sanguineum cruorē funderet. Cæterum colore tantum rufo distinguitur, & pinguiore succo, nequaquam cruento. Spina itaque est in aruis quæ facie tota tum reliquo habitu, præter quàm sanguineo liquore, cnecū, quod officinæ nunc appellant *cartamum*, mentitur.

¶ *Alectorolophos. Alopecuros, vulpina cauda.*

Cap. CXVIII.



Alectorolophos quæ Latinis crista dicitur, folia habet similia galinaceæ cristæ, plura, caulem tenuem, & semen nigrum in siliquis. Vtilis tussientibus cocta cum faba fressa melle addito, & caliginis oculorum. Solidum semen conijcitur in oculum, nec turbat, sed in se caliginem cōtrahit. Mutat colorem, sed ex nigra albicare incipit, & intumescit, ac per se exit. hæc Plinius. quo argumento multi eam esse putant quæ olitores nunc *orualam* aut *totam bonam*, Itali *sclariam* vocant. Nanq; & hodie apud nos rura semen *orualæ* ad eosdem effectus v surpant. foliū ei betæ lanuginosum, serratumque in modum cristæ, scabritie lacunosa prorsus inæquale, caulibus ab imo rufescens, quadrangulus, flos spicaceus, è rubro suppurpureus, quo excusso in alabastriculis dehiscentibus vesicum & atrum semen conspicitur. odorata tota & vulgaris. Seritur in hortis vbiq;, miranturque nonnulli herbam tam insignē notamq; vulgo, veteres silentio prætermisisse. Verū Plinianæ picturæ refragantur principes notæ. non enim ei caulis tenuis, sed præter modum crassus, vt fabaginum quadrata ferè corpulētia peræquet: etsi nigrū ei semen insit, non siliquis, sed potius dehiscentibus vasculis, aut patētibus capitulis concipitur, foliūmq; ei frequentibus crenis serratum, potius quàm cristatum cernitur. Alij hanc esse tradunt quam *cetrum gallinæ*, aut *galli centrum*, officinæ perperam *gallitricum*, aliqui *saluiam transmarinam*, vel *Romanum* appellant, quia eius semine eodem modo vulgus vtatur. Siquidem ad discutiendam oculorum caliginem integrum semen in oculū conijcit, quod non nisi ambitiosa reuolutione per orbem oculi raptū exucto humore, prægnans & quasi tenuibus onustū membranulis egreditur. Enimvero *saluia transmarina* folio est marrubij maiore, odorato, rugosa asperitate, caule sesquipedali, leniter hirsuto, in terram depresso, & in quadrangulū striato, flore è cæruleo in purpureum vergēte, ad aquilini rostri effigiē falcato, calyculis pluribus, gallinaceæ cristæ forma, in queis ad summū quatuor grana reperias, parua, rotunda, fuluescentia. Sed ne ea quidē alectorolophos dici meretur, cū & caulis crassus famēto, & calyculi hiantes non siliquæte figura, semēnq; fuluo coloratu, omnino

reclament. Sed vt facescāt omnis apud veteres ambārum silentij suspicio, quid apud Dioscoridem vtraq; fuerit, oruala scilicet & transmarina saluia, paucis subnectemus. quum illa orminum satium, hac syluestre designetur, marrubij folijs, caule quadrangulo, sesquidrantali proceritate, circa quem calyces prominent
 5 filiquarum effigie, radicem versus nutantes. In ijs duūm generum semen inuenitur, syluestri rotundius, colore fusco, satiuæ nigrius & oblongum, quod argemas oculorum albuginēsq; cum melle purgat. Eæ igitur deliniationes ad amūsim, nulla reclamante nota, satiuo ormino & syluestri fauent. Male audiunt ergo qui eas veteribus intactas fuisse suspiciātur. Non desunt, qui gallinaceam cristam
 10 Græcis peristereon dici tradāt, in humidis nascentē, folio inciso & subalbido; sed manifestior est error, quā explodi desideret. Porrò in pratis frequens inuenitur herba, caule tenui, folijs cristatis, & falcatis, suppurpureis apicibus, in vertice pinnatis, inter quos lunata emicat filiqua, concolor, lata & membranacea cute vestita, in qua semen pullum clauditur. rura huic ab hac effigie suo sermone vernaculo nomen *cristæ gellinarum* dederūt. ea propius ad Plinianam alectorolophi picturam accedere videtur. Alopecuros specie tota similis est tritico, verū folio latiore vt vult Theophrastus, spica hirsuta, qua lanugineum flosculum particulatim emittit, radice articulata, ex cuius nodis emicāt folia pinnata. nomen inde
 20 auspiciatur quòd vulpium caudis similis exiliat. Spicosa est vt plantago, sed hirsutior & lanuginosior, nec tamen in acus aut aristam exit. Plātaginis in modum spicatur, florem tamen non quēadmodum illa particulatim ædit, sed per totam spicam frumēti modo spargitur. Vtriq; lanugineus profilit flosculus. Plinio alopecuros spicam habet mollem, & lanuginem densam, non dissimilem vulpiū caudis, vnde ei nomen. Sunt qui hanc esse contendunt, quam vulgus *pastoriā virgam*
 25 appellat fœmineo sexu. Quin & in aruis inuenitur herba specie frumētacea, folio tritici, culmo gracili, paucis nodis geniculato, spica plantaginis, nullis acerbis aut aristis armata, lanugine spissa horrens, asperitate vestium sequaci. siquidem non villosa tantū lanugo, sed & spica tota fimbriarum tenax, transeuntium vestimentis hæret. rura *caudati frumenti* nomine norunt.

30 ¶ *Alliaris vel alliaria.*

Cap. CXIX.



35 **A**lliaris herbæ folia cum primum emicant, circinata sunt rotunditatis, violæ nigrę similitudine, aliquantum maiora, verum adulta in angulos exeūt. Herba bicubitali proceritate cōsurgit, caulibus teretibus, folijs vrticæ, nisi q̄ læuiores sunt, parcius fimbriata, & à pediculo latiora, allij odoratu cum teruntur, flosculo luteo, exili in pelliculis semine, atro colore, radice oblonga, eodem cū folijs odore. Trita herba allium adeo redolet, vt in iuribus tortiuīsq; succis pro eo substitui cœperit, inde nomen ei dederūt officinæ. Sunt qui putēt scordotim hanc esse, falsi quadam odoris cognatione. siquidē scordotis folijs est similitudine quercus, minoribus, lanuginosis, quadrangulo caule, flore subrubro:
 40 alliaria vero frondibus vrticæ modo fimbriatis, rotundo caule, flore luteo. Illa tantū subolet: allium hæc ita repræsentat, vt iusto allij odore nares impleat. nisi quis arbitretur alterum scordotis genus esse, quam Crateuas repræsentat latioribus folijs, menthastro similem, nec de ea scriptum aliud inuenio. Nemo professe

Et potest inficiari, huius alliarie folia multo maiora videri, & profundioribus cre-
nis laciniata, satis tamen ad querna cum adoleuit accedentia. Huic iudicio facile
subscriberem, nisi similem methastro subdidisset, cui certe serrata sunt folia, sed
spissa lanugine canescunt, illi potius virent sola aspritudine cōtenta. Quod si ita
est, ipsa excalfacit, vrinam ciet si recēs in potum iteratur. Sicca in vino coquitur,
ad serpētium morsus, & venena omnia efficax. In rosionibus stomachi, dysente-
ria, contumacibus vrinis, ex mulsā duobus denarijs datur bibenda. Lentā pecto-
ris crassitiem digerit. Contra veterē tussim ex resina & melle sicca lingitur. Lon-
gis præcordiorum inflammationibus cerato collecta prodest. Podagras acri ace-
to circumlitas mulcet. Imposita menses excit. Vetera vlcera purgat & ad cicat-
ricem ex melle perducit. Recentia quoque vulnere cogit farinæ cōsperfus. Ex-
crescentia in corpore compescit.

¶ **Amarantus. Ambubeia.**

Cap. CXX.



Marantus radice est fulua, bulbosa, ferulaceo caule, pedali alti-
tudine, folijs ocymo longioribus, spica purpurea verius quā flore,
inodora, qua nihil gratius aspectu cernitur, quando & purpuras
Tyrias Laconicasque suo rutilanti nitore prouocat. Coccum
etiam qui in vestibus micat, siue saturatū siue dilutum sua colo-
ris gratia vincit, adeo vt Franci, nunc *passuelutum* appellent, in-
dicantes eo nomine sericum coccineum quod *carmesinum* dicunt, cū quo nimis
rum de coloris principatu certabat, superari. Solo colore cōmendatur amarantus.
Spica Plinio purpurea, verius quā flos, & ipse sine odore. Gaudet decerpi,
& quo frequentius legitur, hoc lætius renascitur. Prouenit Augusto mense, du-
rat in autumnum. Alexandrino palma, qui decerptus adseruatur. Mirūmq; cum
defecere cuncti flores, madefactus aqua reuiuiscit, & hyernas coronas necit.
Qua dote iam in fictilibus seritur, vt ab Augusto floreat in Octobrem, quo tē-
pore gestit frequenter carpi. Collectum & furni tepore siccatum, puellæ ad coro-
narios hyemis vsus recondunt. Sūma eius natura in nomine est appellato, quoniā
non marcescit, ita græcam nomenclaturam vsurpante Italia. Siluit de eo priua-
tim Dioscorides, quāuis multos flores hac nominum ambage complectatur, vt
ageranton, elichryson, & alios complures, forsitan quod paucis viribus in medi-
cina polleret. Galenus heliochrysi nomine amaratum exprimit, ob id corymbos
nunquam marcescere Plinius scriptum reliquit. Philostratus ex amaranto sepul-
turas coronari solitas adfirmat, idque Thessalos instituisse primos ad tumulum
Achillis. Extenuat & siccat amaratus, ideo cū vino fluxiones sistit, sed (vt aiunt)
stomacho aduersatur. Ambubeia, vel vt alijs placet ambugia, Aegyptio nomi-
ne nobilior est quā latino, cichorium enim, nemo nescit, quoniam illam pauci
inter studiosos norunt, dicitur & erraticus intubus, germinans à radice post Ver-
gilia, folio betæ laciniato, fere semper in solo procumbente, magno, fistuloso,
multis ramulis brachiato lentè, item aspero & diuidi contumace, flore cæruleo,
qui nubilo etiam die panditur, & cum eo circūagitur in occasum, noctu semper
compressus. Hanc nonnulli propter vtilitatē chreston appellauerūt, & propter
singularem salubritatem pancration. Sed hæc duplicis est naturæ, vna arctiore fo-
lio, quā diximus: altera latiore, quā hedypnoida cognomināt. Herba est perennis,

folijs multis, per anfractus dissectis, in terra sessilibus, cauliculo simplici, cōcauo, semipedem alto, enodi, flore luteo, stipantibus in circulum foliolis coronato, quo decidente succrescit euanidum quiddam: cæterum admirabile naturæ ludentis opus, nempe multangularis illa lanugo in orbem globata, quæ spirante vento efflatur in auras. Nostri hanc appetente hyeme, & per frigora terra adobruunt, vt candorē deposita amaritudine contrahat, & in acetarijs vtantur. Officinæ, quòd folium sinuatim per lacinias denticulatum sit, *leonis dentem* vulgari voce dicunt. Galli pueruli *florem pissanlitum* vocāt, rati eius vel attrectatione, vrinæ incontinentiam creari, atque ita cubile lotio contaminari. Sunt qui etiam *rostrum porcinum* nominent, dētq; ad laxādos intestinorum infarctus, ciendāsq; vrinās. Hedypnois sylvestre genus, stomachum dissolutū astringit cocta, cruda sistit aluum. Dysentericis auxiliatur, sed magis cū lente. Rupta & conuulsa iuuantur, item quibus genitura valetudinis morbo effluat. Ambubeia refrigerat in cibo sumpta. Collectiones illita digerit. Succus decoctæ ventrē resoluit, iocineri & stomacho renibūsq; prodest. Item si in aceto decoquatur, vrinæ tormina discutit: item regiū è mulso morbū, qui sine febre fuerit. Vesicā adiuuat. Mulierū purgationibus decocta in aqua adeo succurrit, vt emortuos partus trahat. Tradūt magi, succo totius cum oleo perunctis fauorē conciliari, eósq; facilius impetrare quæ velint.

¶ Anthalium. Anthemon foliosum. Anthyllon & Anthycellon. Anthriscus. Cap. CXXI.



Anthalium Aegypto peculiare, nec nisi mensis cognitū. Nascitur in locis arenosis, haud procul à Nilo, mespili magnitudine & rotunditate, sine nucleo, sine cortice, folijs cyperi. Anthalium Plinio, haud lōgius à flumine prouenit, mespili magnitudine & rotunditate, sine nucleo, sine cortice, cyperi folio. mandunt igni paratum. Anthalium mensis tantum dicatur, quod Aegyptij edunt, nec aliū vllum Plinius reperit v sum. Theophrastus malum anthali appellat, in arenosis nascens, haud procul à Nilo, figura rotundū, magnitudine mespili, sine nucleo, sine cortice, folijs cyperi. Anthali mala legentes Aegyptij in bryto hordeaceo decoquūt, vehemēter iucunda & dulcia, quæ bellariorū vicē in secundis mensis impleāt. Anthemon foliosum in segetibus passim nasci cernitur, folijs ferè porri, oblongis, calamo lolij, flore purpureo, quo in coronamētis vtimur, herbaceo calyce, semine tribus versibus striato atróq;, vnde ei nigellæ nomē. hoc Theophrasto anthemon phyllodes dici putatur. Theodorus foliosam nigellam interpretatur, doctis propius githago vel nigellastrū vocaretur. Rusticis nostris *niella*, flos *micancalus*, qui in coronamenta reponitur. Cæterum hoc anthemon semine ac toto frutice maius est quàm melanthion, nec odoratū, quapropter pseudomelanthion vocari potest. verum pedali altitudine tantum surgit, folijs fœniculi vel senecionis, flore cæruleo, stellato, scapo papaueris longiusculo, in quo semen nigrum, odoratum, gustu subamarum. hoc pistrinis, illud solum coronis nascitur. illi in procerioris culmi vertice vnicus flos emicat, hoc non vno contentum permultis scatet floribus. Nostra rura propter odoris suauitatem *piperebellam* vel *poeuretā* appellāt, officinæ *nigellam Romanā*, de qua in eius mētionē vires docebimus. Theodorus in Theophrastū anthemon pro melanthio videtur intel-

lexisse, vt qui nigellam verterit. Sunt qui Theophrasto anthemion & anthemion eam esse contendunt quam Dioscorides vocat anthemida, & chamæmelon vulgo dicitur, magnis ab Asclepiade celebratâ laudibus. Duo Theophrastus constituit genera. vnum eius quæ ab radice tantû foliata sit, alterû quæ caule tantum. Porro cû cæteris omnibus propriû sit vt ab imo deflorescant, peculiare vtriq; vt à cacuminibus incipiât deflorere, flore candido in orbẽ, medijs herbaceo. Semini colos qui flori. decidit hoc sicut & spinosis, cõceptaculo inani relicto. Sec hæc potius de chamæmeli generibus à Theophrasto dicta creduntur, vt apud eû idem anthemion & anthemis audiatur. Anthyllon, quã alij anthycellon vocant, Plinio folijs & ramis lenticulæ similis, palmi altitudine, sabulosus apricis nascens, sub salsa gustanti. Dioscorides primû genus anthyllidis, sic enim vocauit, lèti simillimum fecit, ramis rectis, folijs mollibus, radice tenui, oblõga, falsuginosis apricis natû, nõ insulso gustu, vnde hanc falsolam posteritas appellauit. nam salem etiã ex ea fieri memoriæ proditû est. Ea siquidem palmari altitudine confurgit, similis lenticulæ, folio molliore & minori, insuper radice exili, gustu falsiuscula. Vuluis aptissima est ex rosaceo & lacte imposita, renûmq; doloribus tribus drachmis. Cû eisdẽ vulnera ad cicatricẽ reducit. Bibitur in stranguria renûmq; doloribus tribus drachmis, quomodo & sanguinẽ sistit. Excalfacit, & mediocriter resiccat. De cognato genere in anthyllide differendum erit. Anthriscus, vt Plinius ait, eadem erat quæ & scandix si tenuiora folia & odoratiora haberet, quapropter folio est scandicis, crassiore & minus odorato. Enthussicon in olere syluestri à Theophrasto ponitur. Athenæus & Plinius anthriscum maluerunt appellare. Peculiaris laus eius, quòd fatigato venere corpori succurrat, iãmque senio marcescentes coitus excitet, & alba fœminarum sistat profluvia.

¶ *Appendix spina.*

Cap. CXXII.

Appendix spina Plinio dicitur, quoniam baccae in ea rutilo colore pendant, appendicisque vocentur. Hæ crudæ, per se, & aridæ in vino decoctæ aluum citant, & tormina compefcunt. De spina appendice non nihil alibi diximus.

¶ *Aracoides. Ariana spina. Arianides. Armoracia. Arthritica.*

Cap. CXXIII.

Aracoidem Aegypto peculiarem Theophrastus miratur, quæ nec folium nec herbã vllam, aut quicquid aliud simile supra terram habeat: fructum autẽ in radice ferat, nõ ea quidem quæ carnosa & simplex altius infigitur, sed fibris quas per summa cespitû agit. Idem de Aracidna tradit. Neutrum, inquit, folia gerit, nec folijs quippiã simile, sed quasi binorû fructuum partibus inter se oppositis fœcunda potius extant. Sunt & alia eodẽ authore pluscula supra terrã cibo idonea in Aegypto maximè, & aracidna, & quod araco simile est aracoides. Plinius aracos appellat fructû. qui cum habeat radices ramosas ac multiplices, nec foliû nec herbã vllam aut quicquam aliud supra terrã habent. Aracidna ergo & aracoides, si Theophrasto credimus, duo hæc pariunt sub terra, nõ minorem tubere, cuius pars carnosa radicẽ mittit altam atque crassam, cæteras verò, quibus fructus insidet, graciles atque multas, & summo cespite cohærentes agit, nec fo-

lium nec herba vlla aut aliud quicquã supra terram cernitur. Loca modice are-
 nosa diligunt. Quia porrò geminum & vtraq; parte fructum ferunt, amphicar-
 pa cognominantur. Ariana spina ab Aria regione Indis contermina dicitur. to-
 ta aculeis horret, lachrymæ ploratu myrrhæ similis, tum visu tum etiam olfactu.
 5 Profluit vbi sol illuxerit. Eiusdē regionis alumna est & arianides, herba ignei co-
 loris, quam Democritus legi iubet cum sol Leonē permeat, vt eius tactu perun-
 cta oleo ligna accendātur. Arianidem gigni in Arianis Plinius tradit, igneam co-
 lore, colligi cum sol Leonis hospitium tenet, cuius tactu peruncta oleo ligna ac-
 cendantur. Theophrastus refert conterminam Indis gentē Arianam, cuius spina
 10 lachrymarum pretiosa, myrrhæ tam visu quàm olfactu similis, accessu propter
 aculeos anxio. manat ea cum sole illustratur. Armoraciam Latini, Græci che-
 riam vocant, pontici armon, alij leucon, officinæ *rapistrum*. syluestris est raphanus,
 fronde copiosior quàm corpore, folio læui, rotūdo ac breui, radice tenera, exili,
 longa, saporis acuti. Plinius syluestri læuia quidē folia tribuit, sed breuiora ac ro-
 15 tunda, copiosaque atq; fruticosa, saporem asperum & medicamenti instar ad eli-
 ciendas aluos. Probatum magis quibus caules in initio rotundiores crassioresque,
 ac longis canalibus, folia tristiora & angulis horrida. Plinius Arcadicū omnibus
 prætulit, quanquam & alibi nascitur, vtilius vrinæ duntaxat eijciendæ, cætero bi-
 lem detrahit: & item cortices in vino stomachum purgant, pituitam extenuant,
 20 vrinam concitant. Sed & hodie seritur, ad deturbandos calculos & vrinam ciū-
 dam. Aestiuosum in Italia, & armoraciam vocant fatiuā. Arthritica, recentio-
 ribus nonnullis articularis, duorum traditur generum, vnum folijs nigricantibus
 ternis aut quaternis, in terra sessilibus, rugosis, magnitudine inter violam & ver-
 bascum, è quibus medijs stylus exilit tenuis, lōgus, colore in pallidum languido,
 25 in cuius cacumine bini ternive flores dehiscunt lutei, pensiles, turbinati, summis
 labris denticulati, nec inodori, calyculo in album pallescēte. Ii primo vere statim
 emicāt, certiq; appetētis huius nūcij. quare herba officinis *primula veris* dicitur, ru-
 ri *cuculi brachula* aut *primiueria*. Prouenit in opacis & humidis. Ego hęc luteæ violæ
 genus quoddam esse crediderim, cū sit primū veris munus, folio bācharis, multo
 30 viola latiore, verū flore minus odorato. Quo in genere etiā fatiua inuenitur, non
 dissimilis priori, luteolo colore. ijs nō parua coronis vernalibus tribuitur autori-
 tas. Forsitan hęc Tusculana fuerit viola, cum haud longè plura de ea legātur. Ea
 cum cælum silet, & tēpus serenat, exitu hyemis necdum exactis frigoribus erum-
 pit, & vt prima vernas textit corollas, ita confestim fugax euanescit, in medium
 35 ver vix decorem suum prorogans. Vita ei complurimum menstrua, nec temere
 ad summum sesquimēsem excedit. Nec est simile veri florē vsq; eo celebratum,
 vernóq; coronatui tam frequētem, silentio dissimulatum. Cæterū permulta no-
 tiora fuerūt veteribus, q̄ vt ab eis desiderarēt explicari, quorū nobis notitia pror-
 sus exoleuit. Nec desunt qui phlomides coronarias esse contendunt, sed hęc quas
 40 nuper memorauimus notæ non consentiunt. Alterū genus *palatium leporis* appel-
 lant, quòd subinde lepores sub eius vmbra lateant, cubitali altitudine, folijs fœni-
 culi, sine flore, baccis puniceis, radice numerosa, crassaq; vtriq; eosdem effectus
 assignant. Tritæ imponūtur efficaciter articularum doloribus. Radicis decocto
 vesicæ renūmq; infarctus expediunt. Ius herbæ propinatur & illinitur aduer-
 45 sus rupta, luxata & liuentia.

Balsamine.

Cap. CXXIII.



Alfaminam Ligures Padani vocant, Hierosolymitanū pomum Hetruria, mirabile Gallia, vulgus *garantiā*, quoniā septi modo in hortis fenestrisq; per cancellos opere topiario digeritur, de qua ne verbū quidem priuatim apud veteres habitū inuenio. Ea tenuibus prēlongisq; flagellis vltro citroq; reptantibus euagatur, folijs vitis albæ, articulationibus, exilibus pampinis, ex alarū sinu prodeuntibus, quibus illigātes sese cancellatim vicinis implicāt statuminibus, flore cucumeris ex albo in luteū languescēte, turbinato vtrinq; fructu, carnosā cute & per versus verrucosa, ac rigidioribus bullis intumescēte, cucumeris pusilli vel citrij similitudine, malo verius ac tubere quā grādi bacca, aut folliculo, aureus maturo colos, cartilago intus punicea, vel lutea, sanguineūsq; succus. Pomū maturitate dissilit, inanitasq; cōfractō patet. Semina intus aliquot lēticulæ figurā continens, ruberrima, ex quibus oleū exprimitur, ad vulnera præcipuū. Aliqui pomū oleo prius imbutū aliquot dies insolant, deinde vel fimo vel terra tātis per obruūt dū prorsus intabuerit, sic balsami vires glutinādis vulneribus adsciscere pollicētur, inde tractū balsaminę vocabulū. *Mirabile pomū* Gallis dicit, q̄ vel pulchritudine sua vel insolita nouitate cōspiciētes in admirationē sui trahat. Nec sunt nūc prætereūda silentio *melenfana* vulgo vocitata, quasi dicant mala insana, de quibus iam nihil veteribus fuisse scriptū desino mirari, q̄ multa huiusmodi reperio, sicut per multa quōdā fuere, quæ hodie vel ignorātur, vel certe nō habētur, Galli *amoru poma* nomināt. Mala ergo insana è frutice vulgari depēdent, qui per sonaceā frondibus & caule prorsus emuletur. is passim nascitur folijs prope ficulneis, flore oblongo, specioso, cādido, fructu pomi magnitudine, in orbē absolutū circinato, colore vel puniceo vel niueo, in quibus cartilago granis intercepta cucumeraceis cōtinetur, quæ edēdo fit. Estur vulgo pomū ex oleo, sale, pipere, fungorū modo coctū. Alij vbi paulū inferbuit igni in orbiculos vel taleolas digerūt, & in acetarijs ex oleo vel pipere & aceti momēto mandunt. Salgamarij in muria acida seruāt, cibo per hyemē & ver ori nō ingrato, sed tamē qui ægrius coquatur. Eodē gaudēt cultu quo cucumeres & melones. In hortis apud nos serūtur, sed frequētius in fictilibus, vt fenestrarū pēsiles hortulos exornēt. Quur *amoris pomū* appelletur nostris haud scio, nisi forsitā q̄ elegās & perpulchrū placeat, & ita dignū quod ametur.

Bellis vel Bellius.

Cap. CXXV.



Ellis qui & bellius dicitur, flos est pratēsis, pastilicātibus quinquagenisquinis barbulis coronatus. Duorū generū est, maioris & minoris discrimine insignis. minor bellius in pratis nascitur, flore albo, aliquatenus rubēte, quinquagenisternis tantū barbulis circinato, folio pingui, in terra iacēte, in rotundū oblongo, leuissime ferrato: syluestris floris calyculis simplici foliorū cōstat ambitu, emaculato cādore, vnde Galli *margaritā* vocarūt. Iam & in hortis seritur, sed flore multiplici, barbularū stipatu dēfiore. In satūdis pleriq; & punicei & versicolores flosculi spectātur, sed omnes sine odore. Hęc trita cū artemisia strumas efficacissimè cōpescit. In officinis *minoris cōsolidæ* titulo demonstratur. Hybernis quoq; nascens coronis hyeme tota prouenit, primus etiā veris flos, in Italiā ex occidente, vt quidā existimāt, cōuectus. Laudatur ad podagras, ischiada, & neruorū resolu-

tionē, vnde nōnulli eam *paralyfim* vocāt. Maior bellis procerior affurgit, folio nō admodū diuerfo, altioribus tantū crenaturis laciniato, cauliculis tenuibus, furculosis, cubitū altis, flore priori nō dissimili, maiore, paucioribus tantū barbulis medium luteū in orbē cōcinnē cingentibus. Flos quoniā à longinquo cōspicius est, *paradelos* vulgo nominatur, rura nostra *grandem margaritā* appellant, officinæ *consolidā mediam*, q̄ vulnera glutinare credatur. Nonnulli, q̄ flos orbem oculi videntur imitari, *buphtalmū* & *bouis oculū* nominant, sed perperā, cum oculo bouis folium fœniculi tribuatur: huic præpingue latūmq; foliū minime vt fœniculo in capitula lamenta extenuatū. Hallucinantur qui bellium vulgo *leonis dentem* dictum interpretētur, quem nō quinquagenæquinæ, sed plusquā centenæ coronant barbulae, nō candidæ, sed luteæ, semine pullo in auras euanescente: bellio, albæ luteū verticem circundāt, qui à multis semen intelligitur. Porrò qui *antipatrē* vulgo dictum rentur esse, liquido falluntur, cū sit antipater furculosus & flore luteo, quasi cunilaginis, minore. folia roris marini, latiora, minūsq; longa. Huius illa proprietas, q̄ flores pōst nascētes altius attolluntur q̄ prius nati, *Christophorianā* & *oculum consulis* nōnulli vocant, officinæ *filiū antepatrē*. Cæterum impiam nō esse antipatrem plerisq; reclamantibus notis, in peculiari eius mentione docebimus. Multū quoq; vidētur à veritate deficere, qui bellium maiorē halum aut petræū symphytū dici putāt, cū halus furculosus sit, ramis tenuibus origano similibus, capitulis thymi, totus odoratus, gustu dulcis, saliuam ciens. Multa sunt inter vtranq; discrimina, primū, bellius maior inodorus est, halus totus odoratus: flos bellio anthemidis vel chamæmeli, halo capitula insunt thymi: bellius maior simplici thyrso profilit, halus multis tenuibus ramis origano similibus brachiatur.

¶ *Blattaria. Boleti.*

Cap. CXXVI.

Blattaria verbasco ita mentitur vt sæpius pro eo fallat, folijs minus albis, pluribus cauliculis, luteo flore. Plinius similem verbasco facit herbam, quæ sæpe fallit pro ea capta, folijs minus candidis, cauliculis pluribus, flore luteo. Hæc abiecta blattas in se cōtrahit, ideóq; Romæ *blattariā* vocant. nomen itaq; latinū à colligendis in se blattis adinuenit. Boleti vt incerti sunt generis, ita profecto & ancipitis cibi, palato tamē gratissimi. Vt nascatur, albicantē voluā prius terra gignit, ipse postea eo inuolucro, ceu in ouo luteū, clauditur. Nec tunica minor gratia infantis boleti. hæc eo nascēte rūpitur, mox adolescēte eo in pediculi corpus absumitur, raróq; vnq̄ geminis ex vno pede. Ex limo madētis terre acido humore boleti cōcrēscūt, ideóq; originē primā, causāmq; acescenti succo soli Plinius assignauit. Cuius rei argumētū sumi potest, q̄ initio spuma lētior appareat, dein corpus membranæ non dissimile, mox partus striato galericulo perforatus. Venenosi deprehenduntur colore, extrā luteo, intus plumbeo, aspectu barbaro, rancido habitu, hiulcis canaliculis, lurido per ambitum margine, aut summo pallescente labro. Improbantur adhæc aridi, vitiliginosi, qui præsertim guttas in vertice cādidās, nitri similes ex tunica gerūt. Perniciales habētur si clauus, si ferri aut chalybis rubigo, si panni marcor adfuerit, nam omnē illico succū alienūmq; sapore in venenum decoquunt. Exitiales quoq; noscuntur, si serpētis cauerna iuxtā fuerit, aut si patescentes primo adhalauerit, capaci venenorū co-

gnatione ad virus accipiendum. Boleti oriuntur omnes & accidunt intra dies septem, quapropter inter ea quæ temere manduntur boleti merito reponuntur.

☞ *Bupleuron. Buprestis. Butomum.*

Cap. CXXVII.



Vpleuron olus sponte nascens, caule cubitali, folijs multis longisq; muscario anethi. Plinius in spote nascentium herbarum numero Græcis haberi tradit, caule cubitali, folijs multis longisq;, capite anethi. Laudatum in cibis, Hippocrati & Nicandro in medicina. Semen contra serpentes valet. Folia ad secundas foeminarum, vel succum ex vino linunt, & strumis cum sale & vino. Radix contra serpentes datur in vino & urinae ciunde. Buprestim Græci in laudibus ciborum habuere, iisdemq; remedia tanquam contra venenum prodiderunt. Et ipsum nomen indicio est boum esse venenum, quos desilire degustata fatentur: quapropter nec de hac plura dixit Plinius, nisi libidinis causa alicui expetenda videtur, quam non aliter magis accendi putant, quam potu. Verum hæc de bupresti animali tradita potius quam de herba crediderim. Quod si per imprudentiam in foeno vel herba latitas deuorauerit, desilire boue memoriae proditum est. Nam de equo tradit Hierocles, si foeno vescens buprestim gustauit, distentus ventris dolore dissilit, quod & Pelagonius confirmat. Buprestim cantharidum generis esse nemo potest inficiari, quibus venerem accedentibus omnibus est conspicuum. Butomus frutex est palustris, caule inoffensissimo, peculiari quodam laeuore, folio arundinis, angulari, fructu nigro, mali amplitudine, sexu duplici, masculus foecundus, foemina vitiliu ad nexus utilis. Pars ab radice tenera manditur puerorum cibo grata. Vbiq; fere in paludibus nascitur, quamquam humore & terra gaudeat, in Orchomenio lacu plurimus. Theophrastus folium ei reddit arundinaceum, angulare. Subdit, caule peculiare quadam sortiri æqualitatem, fructificare in lacu, malum fundere, magnitudine sidae proximum. Prodedit, in eo genere foeminam sterile esse, ad nexus utilem, mare improbari, vtrumq; Orchomenio lacu familiare. Nomen inde tractum putauerim, quod tam viridis herba quam conditium foenum boues pascat, eiusq; sectiuo victitent pabulo. Democritus in geoponicis est author, butomum in paludibus nasci, folia ferre irinis proxima, ex vna radice non singulatim, sed ut frutices scaturientia, quibus boues iucunde vescantur, vnde nomen ei datum. Vbicunq; prodierit, solum excavandis aquilegijs idoneum fatetur, & ut addit idem Democritus, quibus in locis butomus, cyperus, arundo, lætum gramen, & batrachion quod chrysanthemum appellant eruperint, aquam subesse perennem aquileges affirmant. Herbarij & officinae vocant hodie *iuncum cabacinum*, quod folijs eius tegetes & sportulae sicut & sparto texuntur. nanque corbulas quibus ficus & passas vvas recondunt, *corbas* vel potius *cabas* solent appellare.

☞ *Cactus. Cacubalum.*

Cap. CXXVIII.



Actos, de qua Theophrastus & Plinius loquuntur, in Sicilia tantum nascitur, suae proprietatis, cuius in terra serpunt caules a radice emissi, lato folio & spinoso, quos vocant cactus. Nec fastidiunt in cibis desquamatos, gustu amariuscule, sed & seruati muria vel inueterati sale vescendo sunt. Vnum caulem rectum habet, qui pternix dicitur, & eiusdem suauitatis, sed vetustatis impatientem. Semen ei lanuginis quem

pappū vocant, quo detractō ex cortice teneritas cerebro palmę similis relinquitur, vocāt scaliā siue vt Plinius ascaliā. Athenæus in Theophrasto ascaleron legit, eius verba citans, cuius iudicio facile subscribere, mendā in vtroq; suspicatus. Cactus paucis hodie vel in Sicilia nobilis creditur, cum haud alibi temere nascatur
 5 sui generis plāta: nā multicaulis vno tantū adsurgit, cæteri à radice statim procūbūt, lato aculeatōq; folio, fructu, in quo lanuginosum semē, echinata specie horrido, Siculi quoniā in ea nihil nō esset edule, singulis partibus singula dedere nomina. Enimvero sparsos in terra caules cactos dixerūt, solitariū illū erectū pternicē, partū ascaliā, cui desquamato teneritas eadē quę palmę. Cæterū vt verbis vtat Athenæi, quis non ijs notis suasus intrepidè dicat, cacton eandē esse quę Romanis,
 10 qui nō procul à Siculis absunt, carduus nominatur, & cōspicuo reliquis Græcis cinara? Siquidē mutatis duabus literis cactos, & cardos in eandem vocē conueniēt. Edendo fuisse cactū satis Epicharmus testatur, qui post olera asperas cactos obijcit, & idem post brassicā & lactucas statim cacton retulit. Philetus Cou acutā cacton dicere solebat, q̄ spinis pungētibus horreret, quæ cæteris quoq; Græcis auctoribus cinara fuit appellata. Satis etiā liquet cacti vocabulū ad Italos & Gallos è singulorum confinio manasse, qui suo vernaculo sermone *articacton* vel potius *articalctum* appellitent, vel recentē cacton inuētes, vel emendicato Mauritanorū articulo nomen interpollantes. Folia & cauliculos terra dum inalbescant obrutos
 20 *cardinā* nostrū appellat vulgus, echinatū caput spinosūmq; partū *articactum*, sed de eo in cardui mētionē abundē dictū est. Paulus cacton spinæ genus esse tradit, quam Dioscorides libro sexto vocauit ixiam, cuius pappi recentes in cibo sumpti strangulant: veriq; simile est, hanc esse cactum de qua Theophrastus, & fretus eius testimonio Athenæus, Pliniūsq; loquūtur. Cacubalum quidam alio
 25 nomine strumum appellant, alij græcè, vt Plinius scriptum reliquit, strichnon, acinos habet nigros. hoc solum nigri genus esse putatur. Folia trita cum aceto serpētium icibus & scorpionum medentur. Ex acinis cyathus succi cum mulsi duobus, auxiliatur lumbis: item capitis doloribus cū rosaceo infusus. Ipsa strumis illita sanandis opitulatur, inde strumum nonnulli nominauere.

30 **Calathiana & Caltha. Calcifraga.** Cap. CXXIX.



Alathiana munus autumnī, violæ cæterę veris. ea minuto est folio, violæ albæ nō dissimili, in totū sine odore, calathi similitudine, autumno tantum proueniens, tanta coloris pulchritudine, vt cæruleū ipsum quod imitatur prouocet. in pratis post estatē emicat, autūnalem violā nomināt. Cæruleas esse violas putauerim,
 35 aut quæ sint mihi non constat, quas Galli *ancholias* appellant. eæ æstiuas necūt coronas. Herba est pedali altitudine, folio in orbē anguloso, flore cæruleo, turbinato, semper inuerso, foris striato, luteis intus staminibus, inodoro, alioqui flos à coloratu cæruleo nomen trahit. Coronis additur tū ob coloris gratiā, tum ob speciei formā, qua dote & in hortis feritur, nullius in medicina vsus. Inuenitur & pallidus. Rura q̄ floccū corniculata folia caligularū more dehiscāt, *caligularū* nomine donarūt. Proxima superiori caltha est, concolori amplitudine, vincit numero foliorū marinam, quinq; folia non excedentē. Eadem odore superatur, est enim grauis caltha. Non leuior ei quā *scopam regiam* vocant, quanquam

folia eius oleant. Est itaq; caltha autūnalis viola amplitudine calthianæ, colore luteo, folio multiplici, odore graui, nec ei quā appellant scopam regiā leuiore. Virgilius eam luteolo cecinit colore tinctā, nec Plinius ab eo dissentit. Porrò à caltha calthulæ vestis genus dicitur, vt à croci similitudine, crocotula. Facile putauerim eam esse quam vocāt officinæ *calendam* vel *calendulā*, quasi dicāt calthā vel calthulam. nam ea autumnō fufius emicat colore luteo, folio multiplici, odore fuauiter graui. flos item colore luteo nō in elegāti inficit aut crocato. Verū certo ftatui nō potest, cū alijs fcorpionides ab similitudine feminis, alijs leontopodiū esse putetur. Scio tamē calendulā quę vulgo dicitur *solfia*, nō esse Dioscoridis heliotropiū, nec magnū neq; paruum, q̄ illi flos effigie fcorpionis nō semen tribuitur: huic semen rotundū, verrucarū more pēdens. ergo *solfia* quasi *solsequia* Gallis dicitur. Ea simplici multoq; capillitio fibrata est, radice fruticosa, cauliculo dodrantali, lignoso, folio angusto, longiusculo, flore specioso, crocato, nō ingrati quanuis grauis aliquantū odoris, qua dote venit in coronamenta. non semen sed vagina fcorpionis caudam emulatur. Prouenit in cultis. Adhibetur condimētis & acetarijs. Flos ex vino potus ciet menses: item herbæ succus, quo in dentiū dolore os præsentaneo remedio colluitur. Calcifraga Latinis, empetron Græcis nominatur, herba est sesquipedalis, geniculatis cauliculis, succulēta, folio marini roris, nisi quòd multo carnosius & rarius, semine corymbis depēdentibus, fœniculi effigie, flosculo luteolo, singulari radice, exili, & breui, odore gustūq; falsis. Perpetuo viret, floret Augusto. Nascitur in maritimis, haud temere alibi q̄ nudo saxo. quo propius mari fuerit, minus salsa est: quo lōgius, magisq; terrena, amarior sentitur. Empe-trū, inquit Plinius, nascitur in mōtibus maritimis ferè in saxo. Quo propius mari fuerit minus salsa est, pota bilem trahit ac pituitas: quo lōgius magisq; terrena, amarior sentitur, extrahit aquam. sumitur autē in iure aliquo aut hydromelite. Vetustate vires perdit, recens vrinas cit. Decoctū in aqua vel tritū calculos frangit. Qui fidem promisso huic quærūt, affirmant lapillos qui sufferuefiāt vnā rūpi. Siccatur in vmbra iacens aut inuērsa pendens, aliàs cōtumaciter inarescit. In puluerē redacta bibitur in mulso, ad ciundas vrinas, resoluēdoq; calculos. Strangurijs, vt tradunt, fere deploratis succurrit. Vulgus nostrum q̄ medijs erumpat saxis, *perforipetram*, Sanctones *rūpipetram*, multi *marinā cristam*, q̄ montium iuga & scopulorū crepidines ea vestitæ cristentur, aliā tamen omnino ab ea, quam *cretam* appellant *marinam*. Frequēs est in Massiliensi ora, neq; non in maritimo Sanctonū tractu. Acida muria ad sesquiannū vsq; cadis feruatur ad acetariorū vsus. Porrò apud Dioscoridem quale fuerit huius herbæ foliū, animaduerti nullo modo potuit, q̄ corrosi hac in parte Græci fuere codices, ita vt in ipso verborū textu spatium inane vacabat. Mihi tamen hallucinari vidētur, qui cuidam huius herbæ veteri fidunt picturæ, notis omnibus supradictis apertissime reclamātibus. nempe cirris minutis potius q̄ folijs per ramos ex interuallo cōditis spectabatur, nec frequentibus. In cacumine furculorū flocci ceu arentes potius q̄ flosculi, subrubida radice nō sine fibris. Addunt, Romæ ostensam in maritimis ac mōtosis, nō rubida tamen radice, sed alba, flosculis candidis. Cæterum calcifraga denso caule & furculoso, folio ros-marini sed carnosiore, semine fœniculi, in cacuminibus dependente flore luteolo, radice singulari, candicante, nullis fibrata capillamētis. Tota herba gustu pollet falso, longius à mari resipit amarorem.

¶ *Canaria. Cantabrica.*

Cap. CXXX.

5
10
15
20
Canariam inuenerunt canes, qua fastidium deducāt, eamq; in nostro conspectu mandunt, sed ita, sicut est Plinius author, ut nunquam intelligatur quæ sit, etenim depasta cernitur. Notata est animalis huius malignitas in alia herba maior. Percussus enim à serpente mederi quadam sibi dicitur, sed illam homine inspectate nō decerpit. Verum canaria humilis est herbula, folijs tritici, multo minoribus, calamulo tenui, geniculis pyxidatim cohærentibus articulato, internodijs modo tiliarum in se infarctis, quæ tracta suis à vaginulis exeruntur, euanida spicæ loco panicula, ita ut folio & culmo triticū, cacumine arundinem æmuletur. *Nostrates herbam canis* appellat, qua gustata canes præsentaneam eliciūt vomitionem, sic ut excusso rursum ventris onere, vorandi moliantur auiditatē. *Cantabrica* in Hispania inuenta est per Diui Augusti tempora à Cantabris reperta. Nascitur ubiq; caule iunceo, pedali, in quo sunt flosculi oblongi velut calathi, in
20
 ijs semen perquam minutum. *Cantabricæ* nomē dedit ea pars Hispaniæ quam hodie *Biscaiā* vocant. Exilit passim propter vias, pedali ac iunceo caule, flosculis calathi figura, oblongis, in quibus exile semē, radice nigra, longa, digitali crassitudine, folijs humi sessilibus, longis, quæ non extollantur à terra. hanc rura nostra *colubrinam herbam* vocant. Traditque Plinius, eius radice drachmam in vini
20
 hemina sæpius bibendam contra serpentium morsus. inde ruri nomen.

¶ *Cassutha. Caucum.*

Cap. CXXXI.

25
30
35
40
Sed mirabile satis nunc occurrit hoc loco non silendum, quòd quædam in terra gigni non possunt, & in arboribus herbisque nascuntur. nanq; cum suam sedem non habeant, in aliena viuunt. Huius generis est quæ à recētioribus Græcis *cassutha*, ab medicis & herbarijs nostræ ætatis *cuscuta* vocatur. Hæc herbosus fruticibus adnascitur, earū adminiculo fulta, radice nulla, sed velut ab alarum sinu prodeunte cirro, capillametove miræ longitudinis, statim ab eius ortu sese ramulis conuoluente. quæ iam veluti clauiculis nixa, sensim proserpēs herbarū fastigia scādit, & crebris voluminibus opere topiario per
30
 vertices rotata comas herbarum complectitur. ea volubilis est natura. Nec ijs contenta, vicinōs quoq; frutices continuis implicat orbibus. siquidem gaudet summatim euagari, quos tam spisso sæpius irretit contextu, ut tentorij modo herbosum cespitem vindicet ab sole. Nonnunquam cacuminibus impēdens stirpes
35
 humi deturbat, propriamq; parentem suis laqueis strangulat, aut continuo materni alimenti succu perducit ad tabem. Sæpe tanta eius luxuria est, ut mole tanta stirpes oneratae procumbant, nanq; iustum fascem magnitudine vidimus æquare. hæc folijs vidua cernitur. Florem fundit album, semine quoq; scatet tenui. Cirri dilutiore rutilant purpura, nonnunquā ex rubro rufescunt, fidibus
40
 rarum crassamento pares. De hac nihil veteres Græci quod adhuc inuenerim, memoriæ prodiderunt. Plinius in calce decimiseptimi voluminis, cuiusdam consimilis herbæ meminit, quæ ut viscum in aliena stirpe viuit. hæc in Syria vocatur *cassytas*, non tantū arboribus, sed spinis conuoluens sese. Eandem esse, vel certe

proximam fidem faciunt cum recētiore Græci, tum medici factionis Arabicæ principes, qui quadam vñ linguæ germanitate cassutham, vnde *cuscuthæ* vocabulū noterici videntur declinasse, nominant, herbam fruticibus, herbis, & arboribus adhærētem & earum inuoluentē cacumina, in alienis stirpibus semper enatā, & incremēto suo frutices pernecantem. Hanc forsitan veteres græci quanuis triuiale, eo nomine subticuerunt, quòd natiuas merito suæ parentis dotes adsciuiisset, è sinu cuius vernaculum ebibens humorē, aleretur. Nam vt testatum iisdem reliquerunt authores, si calidæ insidet herbæ arborive, calidam sortiatur facultatē: & si decubuerit frigidæ, vim sibi frigidam vendicabit. par est sic eam suæ parentis ingenium referre, nec à cōditione materna degenerare. Iam igitur memoria Plinij cassytas herba suo nomine Syriaco venerat in Latium, quod multis postea seculis vsurpantes tam Pœni quàm Arabes, suis scriptis protriuerunt. Eandem vtiq; intelligi herbam constat, quæ cassytas Plinio, recentioribus tam Græcis quàm Pœnis cassutha, y, litera in, u, transeunte vt sæpe fieri solet, appellatur, præsertim conueniētibus in deliniatione & nomēclatura citatis scriptoribus. Plinius tamē sine spiritu protulisse videtur, nisi, quod ferè suspicor, inuertētes librarij mutarūt cassytas pro cassytha scribentes: sed id est minus quàm ingenia debeat distorquere. Officinis vbique hinc deflexa quadam pristini nominis vmbra *cuscuta* dicitur, cum primum cassutha, dein conuersa cascuta, postremo cuscuta, cœpta est appellari. Sunt qui *podagram lini* vocant, quòd quasi cōpedibus id cui insederit illiget, nec vinctum eo facile possit explicari, vel vt potius dicam extricari. Cassutha quandam respicit amaritudinem, quare cōiectam in vinum tantum vigorem adijcere tradunt, vt temulentiam bibētibus adferat. Eandem in primo calfacientiū abscessu & resiccantiū secūdo recondunt. Quare abstergendi naturā habet, & cum quadam astrictione participat roborandi. Iocineris impedimenta laxat, infarcti lienis expedit vitia, venas pituitosis atq; biliosis exonerat humoribus, pellit vrinā. Regio morbo subuenit qui iocineris obstructionibus contrahitur. Febribus ijs auxiliatur quæ pueros male habent, sed vsu nimio stomachum sua astrictione grauat. sed noxa tollitur, si anisi momentum adijciatur. Natura eius flauam bilem per aluum exigere, sed efficaciorē vt volunt cum absinthio præbet effectum. Modus decocti vel iuris instar selibræ ex sachari sesquuncia. Vires cassuthæ longè magis gliscere pollicētur, si parentis ingenium ei patrocinetur. Caucum quæ & ephedra, & ab alijs anabasis vocata, nascitur vñtofo ferè tractu, scandens arbores & ex ramis propēdens, folio nullo, cirris numerosa, qui sunt iunci geniculati, radice pallida. A reptili fruticum scansu, anabaseos cognomentū arrogauit: item ephedræ, à sessili positu, quæ quasi fulta ramis depēdeat. Ea procul dubio est, quæ rura nostra vocant *prelam*. Siquidē arbores in vñtofo tractu cōplectitur, improbo cirrorū reptatu, proxima quæq; vinciēs, ab ramisq; depēdens capillamēto potius quàm folijs articulato, iuncea cuspidē, calamulis geniculatis, internodijs pyxidatim coeūtibus, radice pallida. Datur ex vino nigro austero trita ad tussim, suspiria, tormina, sorbitione facta in quam vinū addi cōuenit. Hanc *prelæ* vocabulo quāoptime norūt artifices, qui expolendis domorū vtensilibus dant operā. Qui pectines exornāt rudes, ea scabritiā omnem læuigare & tanquam scobina totā asperitatem abolere experiūtur. In manuales fasciculos congesta à rusticis venditur apud nos.

¶ *Cera. Cerinthe. Chrysolachanum. Cneorum. Cap. CXXXII.*



Era Theophrasto sylvestris est brassica, quam alij petræam, alij er-
 raticam dixerunt, Plinius speciali nomine cramben, coma læui,
 parua, rotūda, ramis foliisq; permultis conditam, satiuā candidio-
 rem, succo aspero & instar medicamenti amaro. Hæc eadem illa
 est quæ tot exercuit imò ferè occidit grammaticos, illo Satyrici
 senariolo vaticinante, quantam crucem nostris criticis olim poneret,
 Occidit miseros crambe repetita magistros.
 Deprehesum est ab Androcide eam vino aduersari, crapulamq; coercere, quo-
 10 niam iuxta vitem sata eam enecet. Medetur inflammationibus, melancholicis
 quoq; ac vulneribus recentibus cum melle, ita vt soluatur ante diem septimū.
 Ea medici quoq; alui deiectionē moliuntur. Est & cerinthe quæ vocatur her-
 ba propter apes ferenda, folio candido, incuruo, cubitalis, capite concauo mellis
 succum habente. Hanc Virgilius ignobile appellauit gramē. Apibus gratissima
 15 traditur. Florum huius auidissimæ sunt apes, ideo herbam proxime aluearia seri
 commodum fuerit. Ea videtur esse, quantum mea fert opinio, quam rura nostra
pasquetam nominant, quòd apum examina pascat cum in capitula extuberavit.
 Siquidem cubitalis ei proceritas, folium candicans, inflexum, capitulum follicu-
 lare, concauum, dulci scatens melligine. nanq; sæpius rore melleo madet. Tum
 20 protuberat, cum apes ad sua pergunt mellificia. Chrysolachanum Plinius ab
 atriplice discreuit, in pineto folijs lactucæ nasci tradēs, sanare neruos incisos si
 confestim apponatur. Et alibi genus chrysolachani tradit flore aureo, folijs ole-
 ris. Coctum estur vt olus molle. Herba hæc alligata morbum regium habenti-
 bus, vt ita spectari ab ijs possit, sanare id malum traditur. Stranguriam dissoluit
 25 si bibatur ex vino & aqua. Aluum sistit. De chrysolachano nec satis dici Plinius
 sciuit nec plura reperit. Nanq; hoc vitio laborauere proximi herbarij sui, quòd
 ipsis notas veluti vulgares strictim & nominibus tantum indicauere. Porro nus-
 quam non in cultis & hortis sponte naturæ olus adolescit, quod frequentissimè
 pauperum mensas implet, præsertim cum cæteris oleribus deficiuntur. Siqui-
 30 dem id peculiariter eorū iuribus innatat, non fastidiendam habēs gratiam. No-
 strum vulgus partim *chrysolanum*, perinde quasi extrita syllaba chrysolachanum
 dicas, partim inuersis literis *chrasalinam* appellat, officinæ *minorem crassulam*, cuius
 folia primis vitæ rudimentis cum adhuc silet caulis, in orbem ferè circinantur,
 verum cum emicuit iam adulta, in acumen exeunt, & ima pediculi parte laci-
 35 niantur, cauliculo cubitali, lacte pauco madente, quibusdam ramulis brachiato,
 flore luteo, auri colorem imitante, calyce paruo, in quo lactucæ semē contine-
 tur, quam reliqua facie videtur æmulari. De chrysolachano diximus in atriplicis
 mentione Dioscoridis sententiam interponentes, sed atriplex aureo flore pror-
 sus caret. Cneoron quod apud Latinos casiā Hyginus vocat, frutex est coro-
 40 narius. cuius duo genera, nigrum & candidum, hoc ramis permultis crassis, sur-
 culosisq; ac lētis, statim penè à terra fruticat, humilibus alioqui, sed odoratis, fo-
 lio tenui, oblongo & quadantenus oleagineo: nigrum procerius est, folio tama-
 rici carnosio & inodoro. radix vtriq; alte descendens. Germinant post Aequi-
 noctium autumnū, & diu florent. Theophrasto duo feruntur cneori genera, can-

dididi, cui folium cutis modo quadam tenuis oleaginū est, nigri carnosum tamarici similius, siue vt quidam, quos nō improbo, legunt myrto. Candidū magis humi se spargit & odoratum est, nigrū sine odore. Radix ambobus alta, prægrandis. Rami copiosi, crassi, furculosi, ab terra protinus aut paulo supra emicāt, admodum lenti, vt quibus ad vincendum pro iunco vtantur. Venere in coronamenta folio. Post Aequinoctiū autumnī germināt atq; florem mittunt, qui diutinus in eis est. Hæc tota de cneoro Theophrasti sentētia est, Hygino apud Latinos casiam interpretāte. Dioscorides cneorum & cestron vocari thymelæam prodit, at ego nō cestron sed cnestron legendum arbitror, Hippocratis & Galeni, & codicum veterum fretus autoritate. Liparonis herbæ meminit Aëtius, & Alexandria sic vocante, quam aliqui cnestron inquit nominant, ad vlcera capitis manantia vehementer vtilis, nec indicat is author qualis ea sit.

¶ *Combretum. Conferua. Conuoluulus.* Cap. CXXXIII.



Ombretum baccari simillimū traditur, nisi quod procerius est foliorum exilitate vsq; in fila extenuata. Hoc totum cum axungia vulnera mirifice sanare. Conferuam appellant à conferruminando, spongiam aquarū dulcium verius quā muscū, aut herbam villosæ densitatis atq; fistulosæ. Frequēs est in Alpinis fluminibus. Hæc præsentaneum esse remediū ad ossa fracta Plinius est author, cuius verba subtexere non pigebit, Curatum, inquit, ea scio omnibus ferè fractis ossibus prolapsum ex arbore alta putatorem, circumdata vniuerso corpori, aquam suam inspergentibus quoties inaresceret, rarōq; nec nisi deficientē herbam mutationis causa resoluentibus conualuisse, vix credibili celeritate. Porro fluminum vadis enatans inuenitur cōfercta, floccosæ lanuginis densitas, fistulosaq; villorum inanitas, spongiæ referens imaginē, quam cum aducta rapidiore lapsu feruntur, expuūt in litus. vulgus *tofam musu*, innuens muscosum aceruum nominat. Nautæ qui in fluminibus versantur, *fluuialem spongiam*, q̄ spongiosa facie spectetur, malunt appellare. Conuoluulus improbo cauliculorum reptatu quascūq; herbas irretit, hederæ folijs longè minoribus, & ferè in mucronem turbinatis, scansili ordine alternis subeūtibus, flore cū pubescit candido, lilij effigie, cū senescit in puniceū vergente rugatōq; semine anguloso, nigro, nec per se innocenti. Flos ab angustia paulatim in latitudinem se laxat, effigie calathi, inde vulgus *campanulā* appellat. Non dissimilis lilio in herba quā conuoluulū vocāt, nascēs per fruteta, nullo odore, nec croci intus, candorē tantū referens, ac veluti, vt Plinius ait, rudimentū naturæ lilia facere condiscētis. Iam *volubilis* omnibus officinis dici cœpit, quod crebra reuolutione vicinos frutices & herbas implicet. & quoniam flos lilij rudioris figuram præbeat, ob id *liliastri* nomen retulit. Folium ei pinnatum, nec smilaci dissimile. Semen ei nigrū, triangulum in folliculis acinorum specie, qui numero tres habentur, conuoluuli maioris nomine.

¶ *Consiligo. Cornu ceruinum. Cyanus.* Cap. CXXXIII.



Liniana ætas meminit herbam in Marsis repertā. Nascitur & Aequiculis circū vicum Neruesiæ, vocatur cōsiligo. Radix huius herbæ quam nuper inuentam tradit Plinius, suum quidem & pecorum omniū remedium præsens est, pulmonū vitio vel traiecta tantum in auricula. Bibi debet ex aqua, haberiq; in ore

assidue sub lingua. Superficies huius herbæ an esset in aliquo v su Plinio fuit incertum. Columella aduersus pestilentiam ingruentem gregi præsens remedium cognouit radiculae, quam pastores consiliginem vocat. Ea in Marsis montibus plurima nascitur, omniq; pecori maxime salutaris. Læua manu effoditur ante solis ortum, sic enim lecta maiorem vim creditur habere. Vsus eius traditur talis, Aenea subula pars auriculæ latissima circumscribitur, ita vt manante sanguine tanquam, o, literæ ductus appareat orbiculus. Hoc & intrinsecus & ex superiore parte auriculæ cum factum fuerit, media pars descripti orbiculi eadem subula transsuevit, & facto foramini prædicta radícula inseritur: quam cum reces plaga comprehendit, ita continet vt elabi non possit. In eandem auriculam omnis vis morbi pestilensque virus elicitur, donec pars quæ subula circumscripta est, demortua excidat, & minime partis iactura caput cõseruatur. Ouis quoque pulmonaria curatur inserta per auriculam radícula quam veterinarij consiliginem vocant. Sues nisi affatim satiètur, fiunt pulmonariæ. Is morbus optimè sanatur auriculis inserta consiligine. Hanc existimo veterinarijs cœpisse dici pulmonariam, quòd cum pulmones vitium tentat, hoc remedio succurritur, videturq; huic visceri dicata. Consiliginem itaq; mulomedicis nunc pulmonariã dici testatur Vegetius. Verum quæ demonstratur apud nos pulmonaria, frutex aspectu tristi cernitur, caulem erigens squamosum, cubitalem, pollicari crassitudine, qui teretibus stylis ac ferè trientalibus brachiatur, mucrone septena vel octona folia spargente, breuib; nixa petiolis, saligna specie, vel canabina, per ambitum rariuscule ferrata, sed vel è lacerto in formam expansæ manus radiatim exposita, medijs multo longioribus, ita vt quædam rudimenta digitorum simulent. Omnibus ijs colos ex saturato virore pullus inest. hoc habitu fere stirps immortali fronde pubet. At cum ineunte vere gestiens parturit, velut herba secum paria faciète, quod ab vna parte dempserit alio reddente loco, patulas fundit alas, digitali latitudine, quæ per extremum in fibras tenuiter foliatis crispentur, à sinu quarum exeruntur ramuli, diluto virore languescentes, folia ferè plantaginis è luteo palleſcentia. Summatim flos insidet herbaceus capparum non absimilis, candidis intus staminibus, apice minuto notatis, terna seminum loculaméta sepientibus, sed hæc vt oborta confestim emerſerunt, ita breui tempore caduca contabescunt. Vulgus Gallicum *pomeleam* vocat, quasi pulmoneam. herbarij quidã *leonis patam*, pastoribus, bubulcis, equisonibus, totiq; ruri præclare cognitam, qui ad eosdem quos veteres consiliginem, v surpant effectus. Nanq; pulmonarijs pecudibus radicem, caules, stylos, impresso subula foramini ceruicibus adigunt, vt per vulnus tota morbi vis erumpat. Auribus etiã ferro traiectis inserunt, ad eliciendum pestiferæ luis contagium. è loci prorepere morbi sæuitiã experiuntur, quo fruticem impegerint. Hæc à veterũ placitis per manus tradita à recondentis sua secreta vulgi promptuario manarunt, & idoneos authores habet ex populo. Idcirco facile crediderim, quanuis nõ prorsus ausim adfirmare, pulmonariã nostrã veteribus rusticis ac pastoribus consiliginem fuisse. quod & Vegetius in mulomedicina prodit, cum vtriq; vires eadem respondeant. Cœpitq; pulmonaria dici, quòd pulmonum vitij præsens habeatur auxilium: inuenitq; posteris nomen à viscere, cui præsertim nuncupatur. Consiliginem rustici veteres olim vocarunt, quòd in campis inter siliginem triticumque sæpius emicet.

Qui de re veterinaria scriptum aliquid reliquerūt, quantum coniectura capio, recentiores Græci, diapyron vocauerūt, quòd inter triticū siliginēve frequenter inueniatur. Cæterum Absyrtus & Hierocles huius loco veratrū nigrum eisdem infixerunt, cuius quandā esse speciem nonnulli suspicātur. Sunt qui putāt herbam hoc loco designatam telephium esse, quod non satis constat, vt in propria mentione docuimus. Non prætereūda est hac reputatione herba prisca vel ignota vel certe intacta, quæ à similitudine ceruini cornus nomē inuenit. Nasctur in limitibus tanquam pede calcari gaudeat, nunquā se ab humo attollens, quasi cylindro æquatam dixeris, ita solo adhæret in orbem sparsa. Sunt qui sine flore, sine semine nasci putent, flosculum tamen in ea vidimus album, & semen in echinatis vulgis occlusum: nec multum dissidere puto ab ea quā Columella miluinum pedem appellauit, quòd folij extremum in miluini pedis effigiem articuletur. Conditur sale apud nos portulacæ modo, sed longè plura à coronopi mentione petenda sunt. In nomine est cyani colos, qui honorē nomēq; desiderit cæruleo. Rosam cyanus excipit, cyanum amarantus. Triuiialis vt creditur flos est, in frumentario nascens agro, & hortis quoq; rusticorum & puellarū corollis, calyce rosarum, sed squaroso atq; tristi, plurimis stipantibus cæruleis barbulis, vnde partim à summa cærulei coloris gratia *blaucolos*, lingua nostra *blaucum* appellante cæruleum. Pueri barbulas calycibus erutas ex cādido oui liquore terunt, quo in pingendis grandioribus literis cærulei nitorem mentiantur. Italicis quoq; ruribus *baptifecula* dicitur, quoniā secantibus & metentibus officiat, retusa in occurſu eius falce, nam & seculam veteres falcem dixerunt. Flos rusticorū coronis quanquam inodorus inseritur, tū ob speciei formam, tum ob coloris gratiam. qua dote iam & in hortis feritur. Inuenitur & purpurei & niuei coloris cultus adulterio genituum colorem permutante, alioqui semper flos, nisi cultura senserit mangonium, cæruleo nitet conspectu. Nullius in medicina vsus.

¶ *Dios anthos. Phlox vel phlogium. Dodecatheos. Donax. Dryo-
phonon.* Cap. C X X X V.



Dios anthos, Plinius Iouis florem interpretatur, inodorus est, nec nisi coloris gratia coronamentis additus. Nam æstiuus is flos, & colore tantum commendatur, odor abest. Nanq; purpureo placet, quem Latium paradisi florem, Hetruria alisti appellat, Galili dei oculum, rura nostra *cocolurdas* nominant, cauliculis incanis, calyce quadrangulo, purpureo bettonici flore, aculeatis apicibus, folijs circa terram frequentibus, semipedali longitudine, sesquunciali latitudine, mollibus ac lanuginosis, radice numeroſo capillitio fibrata. Errare putem qui violam cognomento flammeam, quæ phlogion, aliquibus plox appellatur, eandem esse cum Iouis flore scripserunt. quod apertissime liquet, nā flammea vere statim post purpureum emicat, syluestris duntaxat: interdum tepidioribus locis vbi cælum aridet clementius, nondum exacta hyeme, colore commendabili, odore nullo, semine proueniēs coronis. Iouis flos licet sine odore sit & coronarius, obseratūq; semine, tamen æstate floret. Aestiuum esse Iouis florem Theophrastus prodidit, flammeā plurimū durare. Plinius Iouis florem tradit colore tantum commendari, odorem abesse, sicut & illi qui à græcis phlox

vocatur. Addidit, vernis floribus æstiuos succedere lychnidem & florem Iouis, quem ad gratiam coronarum tantum pertinere arbitrantur. Theophrastus urbanum esse & coronis tantum nasci docet, flammeã syluestrem duntaxat. Violæ inodoræ genus esse putauerim, quam vulgus Gallicum *penseam* vocat, folio mercurialis herbæ, per ambitum crenato, cauliculo triangulo, intus cauo, leuiter striato, ex interuallis geniculatim foliato, prodeuntibus ex alarum sinu pediculis longis, in quibus summatim elucent violæ, figura & specie purpurearũ, tribus flosculis superne latioribus, atra purpura saturatis, duobus inferne luteis, minoribus, quinque versibus exaratis, rutilo ignis fulgore nitentibus, vnde putant aliqui flammeis annumerari. Iis deciditibus capitula protuberant seminis plena, qualia in purpureis violis spectantur. Ea etiam vere post purpuream emicat, syluestris duntaxat. quanuis etiam semine nascatur coronis, odore nullo quidem, sed commendato colore. Post purpuream vere profilit. Ea quoque plurimum durat, vt quæ prorogetur in autumnũ. Nec alia de flammea inueniuntur classicis authoribus memoriæ prodita, nisi forsitan ramuli & folia sunt odorata, flos inodorus. Dodecatheo folia septem lactucis similia exeunt à radice lutea. Ab ea herbarum laudatissima, Homero teste, quam vocari ab alijs putat moly. Maxima, vt refert Plinius, autoritas herbæ quam dodecatheon vocant, omnium deorum maiestatem commendantes. In aqua potam omnibus morbis mederi tradunt, item malis quæ membratim sentiuntur: neque non ijs quæ totis corporibus grassantur remedium esse ante omnes potam dodecatheon inuenit. Folia eius septem lactucis simillima prodeunt ab radice lutea. Profecto hac effigie frequenter in dumetis enatam vidimus, verum cum nec plura de ea tradantur, an dodecatheos sit non ausim adfirmare. Donax canna est omnium fruticosissima, nec nisi in aquaticis nascens, cacuminis torosi, fusca lanugine puluina ti. Donacem omnium arundinum maxime frutetitiũ Theophrastus refert apud lacus & flumina profilire, quoniam & hæc differentia est multum prælata arundine, quæ in siccis proueniat. Galli *rosatum* nominant cannã in aquatilibus emergentem, geniculatam, cauis internodijs, lanuginea, molli, ac plumea in cacumine panicula, qua tomenti vice pauperes implendis culcitris vtuntur, folijs arundinis. Laudatur imprimis Cyprius donax, vt cuius corticis cinere alopecie emendantur, & putrescentia vlcera. Folia cum melle trita impactos eius aculeos extrahunt. Vtuntur efficacius contra ignes sacros collectionesq; omnes. Dryophonum olus syluestre ficiculam specie æmulatur, ramulis sesquipedalibus, quos circundant vtrinque folia, pollicari amplitudine, rusco similia, nisi quod teneriora sunt, & candidiora, flore sabuci lacteo, semine gustu mordaci, vnde eo vice piperis vtuntur, coquuntque cauliculos in cibus admodũ gratos. Dryophonon Plinius dryopteri similem fecit, cauliculis tenuibus, cubitalibus, circundatis vtrinque folijs, qualibus & oxymyrsinæ, sed candidioribus, mollioribus, flore candido sabuci. Edunt decoctos coliculos, semine vero pro pipere vtuntur. Nec hanc picturam alicui fauere magis arbitror, quàm huic quã officinæ nostrates *nemoralem* appellant *myrtum*, rusticis præclare cognitã, qui syluas accolunt, tenuibus cauliculis, cubitalibus, ambiētibus vtrinque folijs quasi syluestris myrti, mollioribus & candidioribus, pollicari latitudine, flore albo sabuci, fructu acri, quo rura subinde vescantur. Isq; piperis loco rusticorum cibos condit, acremẽto ad morosum

etiam palatū faciente: à quo cū iniuerit gratiam, cœpit nonnullis hortis operose coli, sed difficile comprehendit. Decoctos quoq; coliculos cibus vsurpant, nihil temere Græcorū gula fastidiente, neq; rura hos quoq; repudiarūt. Gaudet dryos phonon cædis syluis, & quercetis. Eo nostra scatent nemora, vnde nomē duxit quasi syluæ cædem dixeris. Sanè græci dryos vocabulo lignum omne, sicuti gerandryon veterem quamcunq; arborem, quasi vetus ramale, significant. Siquidem acinorum succo digitos & vescentum labra cruentat, & veluti sanguinea tabe polluit. Officinæ quòd folijs syluestrem myrtum vt alterno situ filiculam imitetur, *nemoralem* appellant *myrtum*. Rura nostra *cusinos*, quasi culinarios, baccas nominare solent, quòd iam venerint in ganeam, gratissimo ori mandentiū cibo, præsertim si edomita sacchari dulcedine acrimonia, præsententur.

¶ *Elatine pampinaria. Elegia. Enneaphyllon. Eriphia. Erysbale. Euphrasia.* Cap. CXXXVI.



Latine pampinaria, nam de alia supradictum est, si alia est ab ea quam nostrates *pinpinellam*, aut potius *pampinulam* dicunt, germanum certe genus illi fuerit: vtraque enim helxinæ folia habet, pusilla, pilosa, rotūda, semipedalibus ramulis, quinis senisve, ab radice statim foliosis. Enimuero pampinulæ folia latè crenantur, thyrsuli quoque flosculis micant ex cæsis candicantibus, in quæ nascuntur capitella rufescentibus punctis maculata. quæ tametsi de elatine haudquaquam tradantur, in eo tamen genere potest esse, quando priscis defuit cura omnes plantarum notas, differentiâsve singulis in herbis anxie confectari. Nonnullis *bipennula*, & ruri *sanguisorba* dicitur, quoniam vulneribus iniecta ferrum & spicula facile ac citra sensum doloris exigit. folio paruo orbiculato, & extremitatibus ferrato, surculis ab eadem radice plurimis, densis, rubentibus, radice crassa, longa, subpurpurea. Estur in acetarijs quotidie, ea iucundo peponis odore mirum in modum commendans. Mandi tamen solet oleo, sale, & aceto parata, cuius cibi gratia nunc etiam studiosè seritur in hortis: quanuis lucis & opacis, neque non etiam pratis affatim citra cultum erumpat. Pedum quoque calcatu nobilis, quo pressa peponis odorem in nares eiacularur, qui minime olfactus sensum vibratus offendat, sed quadam iucūditate recreet. Quibusdam quoq; locis, vt ferunt, vermiculus eruitur, qui curatus sericis præcipuè tingendis purpuram facit incomparabilem, cæteros colores splendore quodam & hilaritate superans, inuentus vt alia quoq; multa casu, excrementis gallorū ita coloratis. Nam & vsus purpuræ, si Iulio Polluci credimus, ab Hercule videtur institutus, conspecto canis rostro qui purpurā deuorasset infecto. Igitur purpurisum ex hoc vermiculo, *carbasiuum* à præstati amphitheatraliū velorū (vt existimant) colore dicitur. Sed *carmasiuum* potius arbitror appellari, quoniam vermiculus is Punica lingua *carmes* vel adiecto articulo, *alcarmes* appelletur, quemadmodū & coccos. Potest & ab vrbe Charmi, quæ Sardibus est, nomē accepisse coloris, quod lanas inficere Sardibus cœptū sit, vt author est Plinius. De hoc vermiculo nihil apud veteres inuenias. Vermiculum granū aquifoliæ fuisse posteris arbitror, quod Plinio authore quibusdā in locis vermiculi similitudine cōspicitur. quæ colorē nostrates *vermelum* & *vermiliū* nominant, faciē humanam eleganti rubore

nitentem commendantes, vermiculatam rosæ modo dicimus, quasi purpuriflo
 rutilantem: & vermiculatam vestem vt quisquiliatam, & quod idem est, cocci-
 neam, *vermiliam* aut *vermelam* vernacula lingua nominamus, detorto à vermicu-
 lo, vt constat, sermone Gallico. Multis vt ferunt pollet viribus. Folia cum po-
 5 lenta fluxiones oculorum sistunt. Eorundem decocto dysenterici liberantur: &
 quod obseruauit posteritas, eius farina vulnera ad cicatricē reducit. Eadem ex
 vino pota calculos terit. Folia carcinomatibus & fistulis profunt. Succus bibitur
 contra serpentium morsus. Stranguriam decocta leuat. A continente febrī, vt
 volunt, liberat. Succus ante tertianæ accessionem præsumptus eam omnino tol-
 10 lit: sed & phthificis præclare medetur, eius farina cum melle subacta in eclegma-
 tis modum, quod matutino lingant. Elegia arundinis genus traditur, humi-
 le, & contra aliarum naturam graminis modo in terrā sparsum, cibo in teneri-
 tate animalibus gratissimo: masculā solidam esse, fœminam vero inanē. Plinio
 est & obliqua arundo nō in excelsitatē nascens, sed iuxta terram fruticis modo
 15 se diffundens, suauissima in teneritate animalibus. vocatur à quibusdam elegia.
 Ea vliginosis locis frequenter occurrit. Enneaphyllon suo se nomine repræ-
 sentat, nam folijs nouem longis constituitur. Vsq; ad exulcerationē æstuosa vi-
 ac feruente. Enneaphyllon Plinio folia nona habet, causticæ naturæ. In lumbo-
 rum doloribus & coxendicū imponitur vtilissimè, lana circumdata ne vrat la-
 20 tus, cōtinuo enim pustulas excitat. Eriphia septem lanuginosis ramulis apij
 modo foliatur, purpūreo flore, & eo quidem perenni, semine fabaceo, totidē ra-
 diculis quot ramis. Eriphiam magi prodidere in auena scarabeum habere, sur-
 sum deorsūmq; decurrentem cum sono hædi, vnde nomen accepit. Hac ad vo-
 cem præstantius esse nihil tradiderūt. Vidimus in editissimis mōtibus inter saxa
 25 herbam apij folijs, ramosam, leuī lanugine pubescentem, purpureo flore adhuc
 exitu autumnī & per hyemis initiū emicāte, semine fabaceo, ramulis pluribus, fo-
 liatis, rubentibus, radice crassa, longa. Sed nō animaduerti, si tot radiculis fibra-
 ta esset, quot est ramulis brachiata, eam tamen crediderim ranunculi genus esse,
 quod flore purpureo à Dioscoride notatur. Erysiythale folijs est acanthi, luteo
 30 flore. Datur in vino cōtusis & euersis. Euphrasiam officinæ obseruant hyssop-
 o similem, cauliculis purpureis, folio paruo & per ambitum serrato, flosculo al-
 bicante. Nascitur in apricis collibus. Vtuntur ea ad oculorum caligines & suffu-
 siones, vel per se imposita, vel ex vino decocta. Nomen ei videtur inditū, quòd
 lætitiā pariat, aut animi voluptates augeat. Appellatio satis græcam testatur
 35 originē, quanuis apud veteres de ea nihil scripto relictum est. Nostri recentiores
 herbarij euphrasiam pampinulæ similem fecerunt, folio tantum minore ac ma-
 gis serrato, & lentiuscule, minus fruticosam, flore luteolo, præcipuæ claritatis
 ad omnia vitia oculorum. Veteribus incompertam existimo, etsi græcam no-
 menclationem fateatur. quemadmodum & illam, quam nos ceratophylacē vo-
 40 candam putamus, quia partem oculorum ceratoidem, hoc est corneam defen-
 dat, salutiq; percussam restituat, folijs seriphij, vel potius rorismarini, aut lini
 quoq; capitulis arentibus, cirris subluteis. Hæc à vulnerarijs cartophilago cor-
 ruptè pro ceratophylace dicitur.

¶ *Farranum siue farfugium. Flammea Viola. Fraga.* Cap. CXXXVII.



Arranum siue farfugium Latinis herba nymphææ non absimilis, populi folio, sed ampliore, flore tum luteo tum candido. propter flumina prouenit. Græcis chamæleucen vocari Plinius existimat. Nascitur secus fluuios, folio populi, sed ampliore, vnde *populago* dicta sit herbarijs. Radix eius imponitur carbonibus compressi, atque is nidor imbibitur in vetere tussi, aut similiter hauritur, contra spiritus in faucibus colluctantis strangulatus. Hanc & farfariam dici Dioscorides testis est, fortasse à Farfaro amne, quem Virgilius Fabarim appellat in Sabinis. Huius meminit Plautus inquit, Dissipabo te vt folia farfari. & ite in Pœnulo, Prosternebã, inquit, eos vt folia farfari. Chamæleuce Plinio tussilago est. Vbi enascitur aquas subesse Democritus credit, & hoc habent signum aquilegi. Cæterum in vliginosis pratis inuenitur herba, folio ferè nymphææ, radice multis fibrata capillamentis, flore rosæ luteo, nitente. flores Gallicum vulgus *pratenses bacinos* appellat. Porrò chamæpeuce non chamæleuce, vt ferè habent Græci codices, apud Dioscoridem legendum arbitror, quoniam chamæleuce bechion sit & tussilago: chamæpeuce verò, apud Plinium laricis folio similis ostenditur, lumborum & spinæ doloribus propitia. Dioscoridi herba est coloris herbacei, folio pusillo inflexo, inflexis item & ramulis, flore roseo. Nomen inditum ei putatur, quòd quasi humilis pumilave larix appareat. Flammea viola, quæ Græcis phlox & phlogion dicitur, flos est coronarij generis, folio & ramulis odorata, viola inodora, sed colore flammeo coronis adoptata: colore commendabili, odore nullo, semine proueniens coronis. Prima se ostendit florum viola alba. Sub idem ferè tempus exit & viola cognomento flammea, eademque plurimum durat. Qui colos in nuptialibus flammeis quæsitus ritu antiquissimo, & fœminis totus concessus traditur: ideòque fortasse non numeratur inter principales, hoc est communes maribus & fœminis, quoniam coloribus societas principatum dabat. Cæterum hodie *flammulam* dicunt herbam in terra serpentem, folijs longiusculis, flore viduam, semine thyrsulos ambiente, vi vrente & æstuosa, vnde illi nomen: itaque recenti vtendum censent ad phagedænas, cangrænâsque addito salis momento. item lepris & impetiginibus imponitur. Collectiones ex oleo trita aperit. Teritur eadem cum rosaceo, & insolatur triginta dies, ad renum dolores, & lotij stillicidia, neque non cætera urinæ tormenta, seu eo cibum intingere velis, seu corpus illinere, siue subter in aluum dare. Fuere è recentioribus, qui flammulam vocauere herbam in salictis nascentem, quæ salicastrum nominatur, folio duro cinericei coloris, viticulis callosis, rubentibus, qualiter flos quem flammam Iouis appellamus, in violis ferentem semen punici mali simile in acinis, contra hominum & quadrupedum scabiem efficacem. Herba quæ fraga gerit, sine caule spargitur humi, multis à radice lanuginosis pediculis, quorum alij flore candido coronantur: alij trigemino comantur folio, per ambitum serrato atque venoso: alij fructum gerunt exiguis quidem moris haud absimilem, cæterum sui generis solidum, callosum, tenerum, rubentem, tum gustu tum etiam odore suauissimum. hunc Galli *fresas* dicunt. radice foris atra, intus candida, multo fibrata capillitio. Nascitur in opa-

cis sponte quasi aliarum plantarum umbra gaudeat: iam & in hortis, vt grandio-
 diorem fructum ministret. Perpetua fronde viret. Iam in cultis fraga tanto vi-
 dimus profecisse, vt corporis callo mora quæ in rubo nascantur, suo æquare
 globo cernantur. Nonnulla etiam diligentia cultus è rubris in candida degene-
 rant. Virgilius Humi nascentia fraga cecinit. Commendari quinquefolium fra-
 ga terrestria gignendo Plinius existimat. Ego id quæ verum esse possit non in-
 telligo. nam herba ea quæ fraga gignit, trifolia est non quinquefolia, flore can-
 dido non luteo, in montibus opacis frequens, etiam secus vias. Fructus terræ,
 & mora terrestria Seruio grammatico dici legimus. Nec scio vsquam loci sub
 10 frutice vel herba apud Dioscoridem posse comprehendi, nisi fortassis sub Idæo
 rubo, qui passim cum in lucis tum in Ida monte tenerior & sine spinis emicat.
 siquidem neque folio, neque fructu dissidet à rubo, quem vulgus nostrum *fram-*
boesiam appellat, ita quasi pumilus & humilis, sed spinis viduus rubus conspicit-
 atur. Quinetiam vtrique consimile morum & hoc quidem rubens appendet. ea-
 15 dem effigies, idem color, germanusque sapor, qui mirum in modum os com-
 mendat. Ita cum vinum à sapore laudamus, olere fragum vel morum framboe-
 sianum vernaculo sermone nostro dicimus. Nec temere fragum hoc moro fu-
 gacius est, vtrunque tamen citam sentit corruptionis labem: quapropter faci-
 le febrim experiuntur, qui largius hoc fugiente cibo vescantur. Iam ad vires re-
 20 deamus. Herba cibo sumpta medetur lienosis, item succus ex melle potus. Idem
 cum pipere candido datur suspiriosis. Fraga sitim sedant, stomacho profunt,
 sed præsertim bilioso. Succus fragis exprimitur, vetustate vires accipiens, præ-
 sentaneo remedio ad faciei vlcera, oculorum suffusiones, neque non epiphoras.
 Radicis decoctum iocineris feruores mulcet matutino & meridie potum, Ca-
 25 lido siccoque tradunt esse temperamento.

¶ *Galedragon. Gerontopogon. Gethyum. Geum.* Cap. CXXXVIII.

Galedragon vocat Xenocrates herbam leucacantho simile, pa-
 lustrem & spinosam, caule ferulaceo, alto, cui summo in capi-
 te inhæreat simile ouo. In hoc excrescente ætate vermiculos
 30 nasci tradunt: pyxide conditos adalligari cum pane brachio ad
 eam partem, qua dens doleat: valere nõ diutius anno, si terram
 non attigerit. hoc Plinius, Xenocratis fretus testimonio, retu-
 lit. Cæterum proximū genus quibusdam, nec multo dissimile, dipsaci creditur,
 caule ferulaceo, rubro, id est spinis horrente, procero, capite oui forma. quo a-
 35 dolescente intus gignuntur vermiculi dentiū dolorem sedantes, si pyxide con-
 diti & cum pane gestentur ab ea parte qua dolor vellicat. hoc perannare qui-
 dem, si terram non attigerit: anno circumactō, euanescere. Profecto caput di-
 psaci ouata specie conspicitur, quo arescente dissecto vermiculi reperiuntur, qui
 in folliculo brachio aut ceruici deligati à quartanis febribus liberare traduntur.
 40 Sæpe enim eadem herba à varijs authoribus tradita diuersis nomenclationibus,
 perinde quasi diuersa, repræsentatur. Gerontopogon lagenis herba plerisq; di-
 cta putatur, quod inter saxa gignatur, longa barba, folijs instar capillorum præ-
 longis, Hetruriæ saxifica, Romanis petræ barba nūcupata. Gallia cispadana bar-
 bulam hircinā vocat, quæ tragopogoni ferè tota similis sit, nisi quod lacte manet,

& radice amara fit, nō dolci. Gerontopogon priscis, id est senilis barba. A Nicandro geraos pogon, hoc est barba senis appellata, folio hirci barbulae, tenuiore, longioriq; caule paruo, super quē calyx longus & barbula quē summo vertice senū more incana funditur, inde *presbyteri barba* vulgo dicitur. Acetariū olus esse multi falso volūt. Flore luteo nitet, qui in volucres barbulas euanescat, quas pueri *barbam dei* nomināt. Sed inter senis barbā & hirci hoc interesse noscitur, quoniā hirci barbula radice dolci, oblonga, in scapo calyx ingens, flos purpureus & proluxa barba: in gerontopogo radix amara, flos luteus, in caulis vertice calyx longus, qui in canescētes barbulas fatiscat. Gerontopogon iocinerosis & stomachicis succo decocti potu proficit. Renū vitij & vesicæ succurrit. Ex aceto ciet vrinas. Semen singultus sedat. Aluū sistit, & intestinorū inferctus explicat. Gethyum, vt est Theophrastus author, penē sine capite est, ceruicis tantū longæ, & ideo totū in fronde, sapiūsq; refecatur vt porrū: quapropter & illud serunt, non deponunt mensibus Martio, Aprili, & Maio. Secunda semēte post æstiuum solstitiū defigitur. Decimo aut duodecimo die profilit, sed è recenti semine maturius. Non anniculum modo, sed & bimū quoq; fructificat. Germinat è latere vno caule confurgens, sed quo radix ipsa deficiatur, folijs intus cauis, condimentarū est & ceparum generis. Gethyon minime durat. Plinius à Latinis pallacanā vocari tradit. Sunt è græcis qui gethyllida pro gethyo acceperunt, quod & epithyllida vocauerūt. Didymus vir sua ætate doctissimus, gethyon simile fecit ampelopraso. Epenetus Græcus author capitatū porrum gethyllida tradit appellari. Gethyllides, vt Athenæus inquit, Latonæ sacras esse græci volunt, quoniā olus id in malacia prægnans Latona (dum Apollinē gestaret in vtero) cōcupiuisset. Latā hinc esse Delphis legē, vt qui maximam attulisset gethyllida, sportulam è sacerdotis mēsa caperet: vidissēq; se testatur Polæmon gethyllidas rapi magnitudine protuberantes. Cæterū gethyon putauerim esse, quod docti cepulam, Gallicum vulgus partim *porretam*, quasi porraginē, partim *ciuetam* quasi cepitiam appellat, cepam capite minuto, ceruicis tantū longæ, porri modo, fronde copiosam, quam condimentis subinde detondeant, in reliquum cepæ vulgari non dissimilem tam forma quàm effectū. Geum nonnulli eam esse suspicantur quam vulgus *Dia-boli morsum* appellat. quod si ita est, sesquipedali fastigiatur altitudine, folijs buglossis læuioribus, solidioribus & leniter laciniatis, flore purpureo, radicibus nigris & circūrosis. Nascitur in opacis, præsentaneo remedio ad maturandos atq; adeo sanandos carbunculos, si trita imponatur, aut vinum in quo decocta fuerit bibatur. Radix per se estur in vuluæ doloribus. Veteres gei sui radículas odoras faciunt, & iucundi saporis ad discutiendas cruditates, pectorisq; & laterum dolores, sed de hoc geo supra disseruimus.

☉ *Heliathe. Hermefias. Hesperis. Heptaphyllon. Hibiscus. Holcus. Hyosiris.*

Cap. CXXXIX.



Eliathen vocāt in Themiscyra regione & Ciliciæ mōtibus maritimis prouenientem, herbam folio myrti. hæc cum adipe leonino decocta, addito croco & vino palmeo, perungi magos & Persarū reges ad conciliandam corporis gratiā: ideóq; eandem heliocallidem nominari, quòd aspectu corpus iucundum redderetur.

Hermesias ab eodem vocant ad liberos generandos pulchros bonosq; non herbam sed compositionem è nucleis pineæ nucis tritis cum melle, myrrha, croco & palmeo vino: postea admixto lacte bibere generaturos magi iubent, & à conceptu puerperas partum enutrientes, ita fieri excellentes animo & forma, atque bonos pollicentur. Apud Democritum inuenitur compositio quo pulchri, boni, fortunatique gignantur liberi, quam vt puto hermesiam cognominant. Hesperis violarū generis est ramosa, cubitali caule & exili folio, quasi brassicæ longo latóque, aspera lanugine, canescenti, ambitu rariuscule laciniato, flore quadrifolio, non vnus coloris. nam alij purpurei sūnt, alij niuei. Foliaceum semē tenuibus filiquis teretibusque continetur. Hesperis noctu magis olet, inde nomine inuēto. Scribit Theophrastus hanc, præter cæterorum florum naturam, noctu fragrantius spirare quàm interdiu, vnde illi nomen hesperidi, nonnullis *herba gallica* dicitur, ruribus nostris *girostea* nomine cognita, quod caryophylli odorem naribus repræsentet, longè viola alba fragrantiolem, qua docte in coronamenta venit. sæpe enim sum expertus, florem appetente nocte plus redolere, veluti nocturna cæli temperie ad odores conficiēdos opportuna. Sunt qui hesperidem arbitrentur albam esse violam, odore quanquam diluto sit caryophylli, cubitali altitudine, ramosa, caule brassica exiliori, folio longiusculo, molli, canescente, quadrifolio flore, verum non vnus vt tradunt coloris, nam purpurei, alij candidi, alij lutei. Foliaceum semē tenuibus quidem, sed quincuncialibus filiquis concipitur. Sed Theophrastus seorsum, vt differentibus, violæ albæ, quæ Græcis leucoion dicitur, & hesperidis mentionem fecit. Item viola alba caryophyllon tantummodo subolet, hesperis violento eius odore tentat nares. Heptaphyllon quasi dicas septifoliam, Galli *tormentillam*, rura *bosci* *souchetum*, officinæ *bistortam* appellant. quinefolio herbæ similis esset, ni septem haberet folia, vtrinque lanuginosa, flore luteo, radice punicea & intorta. Nam quæ *tormentilla* vulgo dicitur, quinefolio simillima visitur, nisi quòd septem non quinq; caulem ferè certis interstitijs ambirent, quare potest à nobis heptaphyllon vocari, hoc est septemfolia. *Bistortæ* quoque nomenclatura censetur, & altera rumicis folio, à terra cæsis, supra herbaceo, flore rubro, concolorique radice. Vtrique ad eadem effectus, sed huic imbecillior. Farina herbæ ex succo plantaginis propinatur in difficultate vrinæ. Eadem respersu vulnera ad cicatricem perducit. Cum albo oui subacta & in figlino decocta datur cholericis. Foliolorum vis deploratis quoque fistulis instillatur, neque non oculis ad discutendas plumbagines atq; nubeculas. De hibisco discrepant sententiæ, nam quidam syluestrium maluarum generi tribuunt, atque althæam vel molochen & aristalthæam vocitant, cui iudicio Galenus subscripsit: alij & specie & medicinarum vsu seiungunt, quibus Plinius astipulari videtur, qui hibiscum à pastinaca gracilitate tantum distare sentit, damnatum cibus, sed medicinæ vtile. Addit, pastinacæ simile esse hibiscum quod molochen agriam vocant, & aliqui plistolochiam. Vlceribus, cartilagini, ossibus fractis auxiliatur. Folia eius ex aqua pota soluunt aluum, serpentes abigunt. Apum, vesparum, crabronum ictibus illita medentur. Radicem eius ante solis ortum erutam inuoluunt lana coloris quem natiuum vocant, præterea ovis quæ fœminam peperit strumis vel suppuratis adligant. Quidam ad hunc vsu auro effodiendam censent, cauend-

dúmque ne terram attingat. Celsus podagris quæ sine humore sunt radicem eius in vino decoctam imponi iubet. Radix visci cum glutinò & aceto acri lichenas sanat. Holcus in saxis nascitur siccis, aristas habet in cacumine tenues, culmo quale hordeum restibile. Hæc circa caput adalligata vel circa laceratum educit aristas è corpore, quare nonnulli aristidam vocauerunt. Multi zeam esse contendunt inter saxa prouenientem. Alij syluestrem esse volunt auenam.

Hyosiris intubo similis traditur, sed humilior & tactu asperior: vulneribus cõtusa præclare medetur.

¶ *Iasione. Illecebra. Impia. Ischæmon. Isos.*

Cap. CXL.



Iasione Theophrasto olus est syluestre, humi serpens, copioso lacte succulentum, flore candido, & in hoc nobili quòd singulari folio constet, sed ita implicato, vt plura videantur, floris margine in angulos exeunte. Plinius olus esse syluestre tradit in terra repens cum lacte multo florem ferre candidum: concilium vocant. Cæterum Plinius de folio herbæ loquitur cum inquit, Iasione foliũ vnum habet, sed ita implicatũ vt plura videantur. De flore Theophrastus, & vt eius verbis vtar, Iasione flos folio singulari erumpit, sed qui replicatu crebro rudimenta plurium demonstrat, conceptaculo auersa parte non indiget, sed postrema eius exeunt in angulos, qualis ferè oleagineus aspicitur. Commédatur herba ad stimulandos coitus. Cruda & ex aceto pota lactis vbertatem præstat. Salutaris est tabem sentientibus. Infantium capiti illita nutrit capillum, tenacioremq; eius cutem efficit. Porrò non multum ab ea dissidere putatur quam nostrum vulgus *liferonem*, rura *liferotam* appellant. nanq; serpit humi ramulis lacte prægnatibus, flore conuoluuli candido, frequētibus replicamentis intricato, labris summatim in angulos exeūtibus. Videntur quoq; nonnulla præsci nominis rudimēta in Gallico vocabulo relucere. Nã & in Plinio Iasione pro Iasione hæctenus deprauatè legebatur. Illecebra, quæ Græcis andrachne agraria, nonnullis minus semperuiuum, recentioribus nonnullis soldanella dicitur, syluestris est portulacæ genus, maiori semperuiuo simile, nisi quòd folia habet pusilla sed latiora, maculosaq;: item breuius cacumen, fuluis cauliculis, gustu falsum, lacteo succo, radice tenui, candida. Nascitur in petris & in sterquilinijs. Colligitur cibi causa, esturq; cum ficibus. Succo bilem regio morbo laborantibus per aluum exigit. Ructus compescit acidus, ventris tumores & iocineris vitia leuat, vrinam ciet. Eodem ægilopas Aesculapius curauit. Impia Plinio vocatur, incana, roris marini aspectu, thyrsi modo vestita, inde alij ramuli adsurgunt sua capitella gerentes. ob id impiam appellauere, quoniam liberi supra parentem excellant. Alij potius ita appellatam, quòd nullum animal eam attingat, existimauere. Hæc inter duos lapides trita feruet, præcipuo aduersus anginas succo, lacte & vino admixto. Mirumq; traditur, nunquã ab eo morbo tentari qui gustauerit: itaq; & suis dari, quæq; medicamentum id noluerint haurire, eo morbo interire. Sunt qui & in auium nidis inseri aliquid ex ea putent, atque ita non strangulari pullos auidius deuorantes. Floret vere, tuncq; decoquitur ad serpentium morsus. Succo eius vel etiam cinere fistulas impleri tradunt. Ea ab officinis *Christoculus*, à nonnullis ab radicis odore caryophyllon dicitur.

Siquidem rori marino similis est, albicans, & thyrsi modo vestita, cnici capitulis. Surculi sua quoque capitula gerentes, ex quo prodire ramulo altius adsurgunt, unde herba nomen auspicatur, quia scilicet liberi supra parentem attollantur.

Ischæmon serpit in terra milio similis, folijs asperis & lanuginosis. Thracia eam inuenit, qua ferunt sanguinem sisti non aperta modo vena, sed etiam præcisa. Farcitur in nares ad cohibendum inde sanguinis profluuium. Quæ in Italia nascitur, & sanguinem sistit eadem adalligata unde cruor manat. Nomen inde videtur contraxisse, quod sanguinem vndecunque ruentem supprimat, concissa nedum dehiscente vena. Milium agreste putant aliqui nominari. Ilos duplici, vt Theophrastus est author, fastigio, nigrum & candidum, flos fructusque pro ratione discriminis niger, aut candidus: quanquam & medio inquit colore fructus quandoque cernuntur, & flores in purpuram inclinantes, virgis & folio tenuioribus atque læuioribus. Itaque tria eius statuuntur genera, candidum, nigrum, & inter vtrūque medium. Illa fructum florēque concolorem habent pro ratione discriminis, medijs flos ex purpura candicat, item fructus, quando neque fuluus neque exalbidus. folia quoque tenuiora læuioraque habet, ramulis gracilibus & læuibus, nec de eo plura lego. In Aëtio ision dici quandam herbam video, cuius cibo pituita detrahitur, nec satis animaduerto an eadem sit cum iso. Alexāder quoque in problematis, si locus memoria non excidit, ision herbam inter olera dinumerat.

¶ *Lamium. Lappa canaria. Lappago. Leontice. Leuce. Lupus salictarius.*

Cap. C X L I.



Lamium vrtica Latinis dicitur mitissima & folijs non mordentibus, ab herbarijs *iners* & *mortua* nominata. sunt qui & *archangelicam* cognominent, folijs vrticæ pungentis, minoribus, fimbriatis, candidioribus, lanugine nequaquam mordaci, radice ex interuallo cincinnis capillata, caule quadrágulo, flore albo, quare rura nostra *albam* appellant *vrticam*. Tota graui flagrat odore. Medetur cum mica salis contusis incussisque & strumis, tumoribus, podagris, vulneribus. Album habet in medio folio, quod ignibus sacris efficaciter opitulatur. Quidam è Latinis tempore discreuere genera. Autumnalis radicem adalligatam tertianis. ita vt ægri nuncupentur cum eruitur ea radix, liberari morbo magi tradiderunt. Hoc idem contra quartanas pollere. Iidem radice addito sale infixæ corpori extrahi, folijs cum axungia strumas discuti, vel si suppurauerint erodi, complerique. Rura nostra hac inertæ vrticæ vtuntur sistendo ruentis è naribus sanguinis impetu, imæ ceruici vel scapulis alligando, inde sperant in aduersum trahi cruoris manantis cursum. Lappa canaria à reliquis eiusdem nominis sola humilitate differt, sic dicta quod canibus adhæreat. Hæc cum plantagine & millefolio trita ex vino carcinomata sanat, sed post triduum resoluatur. Medetur eadem suum morbis euulsa, & in colluuiem addita poturis vel ex vino vel ex lacte. Lappago (vt inquit Plinius) similis anagallidi, nisi esset ramosior, ac pluribus folijs, aspera, rugosa, asperioris succi, grauis odoris. quæ talis est, mollugo vocatur: similis, & asperioribus folijs, asperugo. Superioris succus expressus pondere vndecim denariorum in vini cyathis duobus datur podagricis efficacissimo remedio. Sunt qui colligant eandem esse mollu-

ginem & hippophæston, quod lappaginè quæ dicatur mollugo. Articularijs pedū doloribus vtilem Plinius credidit. Hippophæston verò Dioscorides neruorū causarijs salutarem adfirmat. Porro hippophæston serpit humi folijs minutis, aculeatisq; item spinosis capitibus, sine flore, sine cauliculo, crassa & molli radice. Hanc neruorū causis vtilem prodidit Dioscorides. Hippophæston è Narbonensi Gallia ad nos delatum vidimus spinosis capitulis, sine flore, sine cauliculo, minutis inter aculeos folijs candidatibus. Leontice siue cacalia Plinio vocatur semen margaritis minutis simile, dependens inter folia grandia in montibus ferè. Huius grana quindecim in oleo macerantur, atq; ita aduerso capillo caput inungitur, ad tollendam porriginè. Officinis *carui agreste* dicitur, fruticosa, semine minutis margaritis simili, inter folia magna pendulo, in montibus fere genita. Cit vrinas pota, mēstruos cursus pellit. Herbæ succus trium obolorum pondere ex passo bibitur in renū dolore. Radix tusa thoracis pituitas dispescit, quod efficacius præstat ambustæ cinis. Dioscorides leonticen folijs grandibus candidis designat, caule in eorum medio erecto, albicante, flore querno, oleaginove, in montibus nascentem, cui alias à superioribus tribuit vires: nec semen exiguis margaritis simile omisisset, vt spero, si decusso flore erupisset. Cacaliã caucanoni Galenus vocauit, de qua suo loco differemus. Leuce mercurialis esset, nisi per medium foliū huic alba linea transcurreret, vnde & mesoleucon quibusdam dicta. Leucas eadē fortasse fuerit cum leuce, vt Plinij verba v surpem, verū leucas dis, inquit, speciem authores non tradunt. De leuce vero, mercuriali herbę similitudine dicunt, noménq; ex causa accepisse, per mediū folium candida transcurrente linea, quare mesoleucon quidam vocant. Succus eius fistulas sanat, ipsa contrita carcinomata. De leucade nihil aliud Dioscorides tradit quàm montanam esse, latioribus q̄ vrbana folijs: efficaciorè hanc, semine aciore, vtranq; aduersus omnia venena præsertim marinorū pollere. Leucographis qualis fuerit scriptū Plinius nō reperit, quod magis est mirandum, quoniam vtilis proditur sanguinem excreantibus tribus obolis cum croco: item cœliacis trita ex aqua & apposita, profluuio fœminarum, oculorū quoq; medicamētis, & explendis vlceribus, quæ fiunt in teneris partibus corporis. Nomen tamen à candida litura vel versu bi vendicasse græca fatetur inscriptio. Lupus salictarius officinis *lupulus*, Gallicis quæ vocabuli caput est in spiritū versa *hupelon*, caulibus aculeatis longissimis que in vepribus & salictis reptat, folijs vitis albæ, hispidis, & nigrioribus, flore cinereo ac multis exilibus folliculis squamatim compactili. Hoc frugibus admisso Germani suam condiunt ceruisiam. Errant qui corrudam pro eo capiunt, quem medicorum officinæ *lupulum* cognominant, folijs apertissimè reclamātibus, quæ in corruda capillamenti modo tenuata, in lupulo bryoniæ similia, paulo asperiuscula cernuntur. Caulis ei spinis horret, cacuminibus tani & corrudæ modo in torulos turbinatis. Flores habet foliaceos, candidantes, qui fere allium vinūque suboleant. hanc vulgo Græci bryon vocant, à bryoniæ vt puto similitudine. *bruscandulam*, quasi bryon scansile Italiæ rura dicūt. nec alia est herba qua Occidentis populi ceruisiam suam maceratis humore floribus commendant, sapore quodam vini. *Hubelon* Gallice vocatum, *humulum* & *tolophim* Germanicè, ego lupum salictarium à Plinio dictam censeo. Subit etiam scanditque salices, & arbusta omnia circumuoluendo se complectitur, nonnusquam quoque reptitius

lupus vocatur hodiè. Lupum salictarium, batim marinam, batim hortensianam ea verius oblectamenta quàm cibos tradit Plinius: teneris tamen lupi salictarij turionibus in acetarijs vtimur. In medico vsu refrigerat, & collectionum impetus lenit. Sedat stomachi inflammationes ex sero potus. Bilem regio morbo laborantibus detrahit. Pituitam in aqua inter cutem exigit per aluum. In capitis dolore, qui medium capitis occupet, eius succus illinitur: item quoties immodicos æstus mitigare necessum sit.

¶ *Macir. Malacocissos. Melandryon. Molon. Molybdæna.*

Cap. CXLII.

M

Acir, vt alij macer, officinæ *macis*, Plinio, Dioscoridi, Galeno cortex est rubens minimèq; lentus, radicis magnæ, nomine arboris suæ. Conuehitur ex India, gustu acerbo, & cum quadam acrimonia iucundè odorato. qualis ea sit incòpertū habet Plinius. Recentiores non radicis sed odoratæ nucis, quã moschatã nominant, corticem ac folliculum esse contendunt, idque vero

propius est, & planè ita modo cernitur. Hanc nucem Græci caryon myristicon appellant, hoc est nucem vnguentariam. Et profecto conditam hanc nucem vidimus nucis iuglandis crassamento, calyce primū puluinato, mox reticulari ambiente mēbrana, quam macir dicunt: dein nucem solidam quam appellant moschatam, puluino illo extimo & odore & gustu suauissimo. sed raro nobis videre licuit, cū in Europa nō proueniat, item qui in officinis cortex spectatur translatus est. Arborē vulgari persicæ similem esse volunt, flore roseo, eiusdem prope modum effectus cuius & caryophyllon. Macir gustu est acerbo cum leni acumine, odore suauis: partiumq; tenuitate deprehēditur pollere, quare resiccat. Datur efficaciter ex melle coctus dysentericis, & supernè sanguinem reiicientibus.

Malacocisson Democritus appellat herbam virentem hederæ simillimã, in riguis nascentem, lentã ac mollem, vnde mollem hederã cognominat. Vbicunq; loci fuerit hæc inuenta, subesse aquam aquilex Democritus existimat. Malacocissos, vt idem inquit, hederæ similis est, mollioribus tantum ac teneris folijs, caule flexili, sese quibuscunq; vel frutetis vel arbutis inuolvente. qui nisi aliquo statumine fulciatur, sese non potest erigere, tam caduca est eius natura. In arundinetis & terrestribus locis prouenit. Hæc esse putauerim quam officinæ nostrates *sigillum diuæ Mariæ* vocant. nanque similitudinem refert hederæ, molliore tamen habitu, sese, ne serpat humi, vicinis fruticibus volumine crebro contorquēte, folio hederaceo, flore albo, baccis rubentibus, crassa bryoniæ radice, eadēque altissima, vt q; vel aquam haurire vel lambere fodientibus dignoscatur. quare radix glutinosa turgens humore cum friatur in quandam vnguinis speciem resoluta fatiscit. Tam aquæ vel cupida vel amans creditur, vt etiã si in asperis offendatur profiliisse, nimirum aquam subijci quis certior factus fuerit. Sed de hac supra in cyclamini mentione dictum nobis est. Melandryon Plinio herba est in segete ac pratis nascens, flore albo, odorato. Commendat eius flagella ex vino veteri trita ad iocinorū vitia. Cæterum aliqui nominis sequentes etymum, pro quodam roboris genere sumūt, queis vel Theophrastus astipulatur. Alij censent apud Plinium melampyrū legendum, quando id Theophrasto inter Siculi frumenti vitia numeratur, lolio quidem simile, sed innocens neque tentans caput.

Molon caule est striato, folijs mollibus, paruis, radice quadratili, in qua per extremum allij caput extuberat. Plinius hanc & syron dici tradit, scapo striato, mollibus folijs, paruis, radice quatuor digitorum, in qua extrema allij caput est. Anhelantibus & stomacho ex vino medetur. Nec multum ab ea distaret quæ *filipendula* nostratibus officinis dicitur, si extrema radix in allij caput ex cresceret, cum cauliculus strijs quibusdam exasperetur, radicibus in filameta extenuatis, sed per extrema glandosis, non in alliorum spicas coalescentibus. Mola Galeno græce *myle* dicta, radix est exiguo bulbo non dissimilis, quæ soluta cogat. itaque ex loliacea farina apertam ac dehiscentem vuluam sanare tradit Dioscorides. eam tamen in simplicium censu non licuit mihi reperire, etsi Galenus eum citet in testem. Nascitur vulgo, ut inquit Plinius, *molybdæna*, id est plumbago, folio lapathi, crassa radice, hispida. Hæc commanducata, si oculis subinde religetur, plumbum, quod est genus vitij, ex oculis tollit. Ea multis esse creditur quæ officinis *maior persicaria* nominatur, aut omnino nobis ignota, quando persicaria folium persicæ arboris habet, fusca in medio plumbagine, caule geniculato, cubitali, semine exili, lente rufo, numerosa radice, in humidis frequentius proueniens, eiusdem ut volunt, cuius *molybdæna* effectus.

¶ *Nyctegreton.*

Cap. CXLIII.



Nyctegreton inter pauca miratus est Democritus, coloris ignei, folijs spinæ, nec à terra se attollentem, præcipuamque in Gedrosia narrat. Eruiitur post æquinoctium vernum radicitus, siccaturque ad lunam triginta diebus, ita lucens noctibus. Magos Parthorumque reges uti hac herba ad suscipienda vota. Eandem vocari *chenamychon*, quoniam anseres à primo conspectu eius expauescunt. ab alijs *nyctylopa*, quoniam è longinquo noctibus fulgeat. Sunt qui hanc esse censent quæ *chymistæ lunariam* nominant, noctibus cum luna lucentem, inde nomen.

¶ *Odontides. Oenothera. Ophris. Osteocollon. Oxys.*

Cap. CXLIIII.



Odontides fruticosa est, triangulis flagellis, geniculatis, nigro articulorum nodo, folijs polygono longioribus, hordei semine. Prouenit ubi & fœnum. Plinio inter fœni genera numeratur, cauliculis densis ab eadem radice geniculatis, triangulis, nigris geniculis. Folia habet longiora tamen quam polygonon, semen in alis hordeo simile, florem purpureum, pusillum. Nascitur in pratis. Decoctum cauliculorum eius in vino austero quantum manus capiat, dentium dolori medetur, ita ut contineatur in ore, inde ductum nomen. Nihil hac frequentius in pratis occurrit, flore purpureo, multifido, tumentibus in caule articulorum nodis, semine hordeaceo, ab alarum sinu erumpente. rura non aliter quam *fœnariæ* vocabulo norunt. Oenothera Theophrasto, quibusdam onuris, surculosa, folio amygdalæ maiori, flore rosaceo, radice vinosa, vnde princeps nomen. Montosa amat. Plinio amygdalino est folio, flore rosaceo, fruticosa, longa radice, & cum siccata est vinum olente. Hilaritatem adfert data in vino. Eadem in potu feras quoque mitigat. Crateias onotheridem appellat herbam cuius aspersu è vino feritas omnium animalium, nedum hominum, mitigaretur, quod Theophrastus